


# SELECTORUM DOGMATUM DE RE SACRAMENTARIA SPECULUM THEOLOGICO-HISTORICUM.

*PARS I.*

## DE SACRAMENTIS MORTUORUM

QUAM UNA CUM RELIQUIS TRACTATUS EJUSDEM PARERGIS.

*PRÆSIDE*

P. ANGELO WINCKLER, ORD. MIN. CONV.
SS. THEOLOG. LECT. ORD.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI EXPONUNT

*VV. FF.*

F. CAROLUS LUYDEL, ) EJUSD. ORD. ET STUDII
F. AUGUSTINUS GESSNER,) ALUMNI.

*WIRCEBURGI DIE XXX AUGUSTI MDCCLIX.*

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUETIS.

*Wirceburgi*, typis Viduæ Walderi.



# SELECTORUM DOGMATUM DE RE SACRAMENTARIA SPECULUM THEOLOGICO-HISTORICUM.

## *PARS I.*

## DE SACRAMENTIS MORTUORUM

QUAM UNA CUM RELIQUIS
TRACTATUS EJUSDEM PARERGIS.

*PRÆSIDE*

P. ANGELO WINCKLER, ORD. MIN. CONV.
SS. THEOLOG. LECT. ORD.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI EXPONUNT

*VV. FF.*

F. CAROLUS LUYDEL, ) EJUSD. ORD. ET STUDII
F. AUGUSTINUS GESSNER,) ALUMNI.

*WIRCEBURGI DIE XXX AUGUSTI MDCCLIX.*
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUETIS.

*Wirceburgi*, typis Viduæ Walderi.

*In ipsa autem Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod* UBIQUE, *quod* SEMPER, *quod ab* OMNIBUS *creditum est: hoc est etenim vere, proprieque Catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioque declarat, quæ omnia vere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur* UNIVERSALITATEM, ANTIQUITATEM, CONSENSIONEM.
Vincent. Lirinens. Commonit. c. III.

# INGRESSUS.

Sacramenta gratiarum *fontes septem sigillis obsignatos* omnis PP. ætas celebravit. At dulcedinem illorum misere sibi occludunt Novatores, non salutis minus, quam Evangelii immemores. Nota sunt Montanistarum, Novatianorum, Donatistarum, Albanensium, Albigentium, Wicleffitarum, Hussitarum & sexcentorum aliorum infausta nomina, qui præter errores alios in Sacramenta velut agmine facto ad sæculum usque XIV. depugnarunt. Sæculum deinde XV. jure dixeris in Lutheranis & Calvinianis priorum hæresum compendium, qui licet Baptismum & Eucharistiam Sacramenta esse concedant, illorum tamen veritatem tanta pravitate turbarunt, tam absurdis adulterarunt commentis, ut ad nihilum pene redegerint, minusque Ecclesiam offenderint alia Sacramenta penitus negando, quam horum vacuum nomen explosa ejus efficacia, & corrupta essentia retinendo.

Insulsam male cohærentium errorum farraginem e nostris innumeri refutarunt; tanta enim vero librorum ac dissertationum ea de re hac nostra ætate varietas ac multitudo edita est, ut exhaustam multorum sudore materiam novis laboribus retractare, idem pene esse videatur, ac crambem obtrudere recoctam. Id quod nos uti grati meminimus, ita Virorum Eximiorum, & præsertim Elenchi Theologici novissime pro Provincia nostra enucleati ductum ita raptim sequimur, ut non nisi primis lineis selectiora dogmata adumbremus. Quod ut fiat, præeunte ipso laudato Elencho parte prima Mortuorum, altera Sacramenta Vivorum succincto quasi speculo exhibemus. Sit tamen præliminariter





# DISQUISITIO I.

## DE SACRAMENTIS IN UNIVERSUM.

### *UNIVERSALITAS, ANTIQUITAS, CONSENSIO CONCILIORUM.*

*Ex C. Nicæn.* An. 325. non requiritur fides in Miniſtro. Hinc can. 8. ſtatuit: *Si quis voluerit venire ad Eccleſiam Catholicam ex Novatianis, placuit ſancto Concilio ut ordinentur.*

*Ex Syn. Rom.* Innocent. I. P. & C. *Marazanenſi* A. 420. ut una ſit in Sacramentis diſciplina.

*Ex Lateran.* 1139. c. 23. damnantur, qui corporis & ſanguinis Dominici Sacramentum, baptiſma puerorum, & cæteros Eccleſiaſticos Ordines, & legitimarum fœdera nuptiarum damnant.

*Ex C. Londinenſi* A. 1237. can. 2. explicatur in gratiam rudiorum numerus Sacramentorum ſeptenarius.

*Ex C. Florent.* A. 1493. in Dec. *Exultate* affirmantur ſeptem Sacramenta, differe a legis veteris Sacramentis, tribus perfici, tria quæ characterem imprimunt, iterari non poſſe. cætera.

*Ex C. Trid.* A. 1563. a Pio IV. abſoluto Seſſ. VII. de Sacram. ſtatuuntur ſeptem Sacramenta gratiæ internæ ex opere operato collativa: Baptiſmo, Confirmatione & Ordine imprimi characterem in anima: in Miniſtris requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia: receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione aut contemni aut ſine peccato a Miniſtris pro libitu omitti non poſſe. cætera.

*Prop. dam. ab Innoc. XI.* I. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantum utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

XXIX. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

## §. I. Eſſentia Sacramentorum.

Vel ipſum Sacramenti vocabulum velut antiquis inauditum, qui inauditam fidem architectati ſunt, e medio tollere attentarunt: deinceps vero, quaſi Eccleſiæ multum gratificarentur nomen quidem admiſerunt, at rem illo ſignificatam novis erroribus obfuſcarunt; perperam ab illis Sacramenta *ſigna duntaxat ſpeculativa movendi & excitandi ad fidem* vocantur: definiuntur autem quam optime ab Ortho-

Orthodoxis ex Catech. C. Trid. P. II. de Sacram. in gen. *Res sensibus subjectæ, quæ ex institutione Dei sanctitatis & justitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habent.*

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* quæ pluries innuit Sacramenta esse signa gratiæ causativa. Ita de Bapt. Apostolus ad Ephes. 5. v. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.* Quæ hic Baptismo, eadem vis alibi aliis tribuitur Sacramentis, ac nominatim *Confirmationi* Act. 8. v. 17. *Eucharistiæ* Joan. 6. v. 15. *Pænitentiæ* Joan. 20. v. 23. *Extremæ unctioni* Jac. 5. v. 15. *Ordini* 1. Timoth. 4. v. 14. pro *Matrimonio* idem deducitur ex c. 5. ad Ephes. v. 32. ubi vocatur *Sacramentum magnum*, ejusdem proinde ac reliqua virtutis.

II. *Universalit. PP.* horum copia nos inopes facit. Sint pro omnibus Tertullianus & Gregor. Nyssenus ille Sæculi II. Scriptor lib. de Bapt. c. 4. *Supervenit*, inquit, *statim Spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & illæ sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Hic Sæculo IV. clarus orat. in Bapt. Christi hæc habet: *Baptismus peccatorum expiatio est, remissio delictorum, renovationis & regenerationis causa.*

III. *Consens. Eccles. Orient. cum Occid.* & Occidentalis sensum satis superque prodidit cit. C. Trid. idem semper & Orientalem sensisse Ecclesiam præter Irenæi, Basilii, Chrysostomi & aliorum Græcorum scripta vel illud declarat, quod Jeremias Patriarcha Constantinop. acceptam a Theolog. Wittenbergens. Augustanam Confessionem omnino rejecerit, Scripturæ & Traditionis auth. Resp. I. ostendens, *Sacramentis donis Spiritus S. virtutem internam inesse ad conferendam homini sanctitatem.*

CONSECT. MOR. HIST. I. Sacramenta perfici rebus ac verbis, rebus tanquam *materia*, verbis tanquam *forma* recte tradidit Armeniis Eugenius IV. P. in Decreto; & quanquam is modus loquendi antiquissimus non sit, retinendum tamen constanter affirmamus, postquam a Conciliis, Pontificibus Romanis, scholarum in Oriente & Occidente Magistris, verbo, per utramque Ecclesiam civitate est donatus.

II. Id innovationis decus equidem Morinus, & post Morinum plerique, quibus perspectior esse potest Parisinorum Doctorum chronotaxis, Gulielmo de Saligniaco primum Antisiodorensi, mox Parisino Episcopo adscribunt, si tamen ejus ætas probe ita se habet, ut eam nonnulli ponunt, atque obitus in annum 1240. cum Bellarmino differatur, meritò eidem litem movere potest Alexand. Alensis Ord. Minoritici Doctor irrefragabilis.

## §. II. Existentia Sacramentorum V. L.

Quanquam cætera V. L. Sacramenta sanctitatem legalem duntaxat & exteriorem conferebant, Circumcisio tamen horum præcipuum *signum* erat non tantum populi Dei à reliquis gentibus *distinctivum*, & nostri Baptismi *præfigurativum*, verum etiam labis originariæ *deletivum* ex opere operato.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Circumcisio a Deo præcepta fuit sub comminatione pœnæ æternæ Gen. 17. v. 14. *Masculus cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ergo.

II. *Consens. PP.* S. Augustinus Lib. 2. contra Petili. c. 72. *certe antiquus populus Dei circumcisionem pro Baptismo habebat.* Idem lib. 2. de Nupt. & concupiscent. c. 11. & alibi sæpe repetit. S. Greg. M. L. 4. Moral. c. 2. *quod apud nos valet aqua Baptismatis, hoc egit apud Veteres . . . pro iis, qui de stirpe Abrahæ prodierunt, mysterium circumcisionis.* Adstipulantur S. Prosper Epist. ad Demetriad. Fulgent. de Incarnat. c. 15. Isidorus, Beda, Bernardus, Rupertus, Hugo Victorinus, Innocent. III. alii.

CONSECT. SCHOLAST. I. *Status Innocentiæ* cum esset brevissimi temporis futurus, nullis ille quidem signis stabilibus gratiæ, neque etiam cæremoniis sacris, quæ usu suo sanctitatem aliquam afferrent, instructus a Deo fuit. Sacramento tamen suo neque ipse caruit, si Sacramentum paulo latius capias pro signo rei sacræ: hoc sensu Hugo a S. Vict. lib. 1. de sacr. fid. P. 8. c. 12. & 13. conjugium Adæ initum cum Eva, atque explicatum Gen. 2. compellat Sacramentum.

II. Nec *Naturæ Status*, hoc est tota illa sæculorum series, quæ absque lege scripta inde ab Adami lapsu ad Abrahamum atque institutum circumcisionis mysterium defluxit, vacua atque destituta fuit omni Sacramento; prospexisse nempe Deum lapso humano generi de salutis remedio aliquo persuadet & communis quæ fuit hominum necessitas & divina bonitas, vult quippe *omnes homines salvos fieri.* 1. ad Timoth. 2.

III. Remedium verò hoc fuisse fidem in Salvatorem venturum testatur nobis omnis retro antiquitas, & apte prorsus: nam *non est aliud sub cælo nomen datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. v. 12. cujus fidei cum parvuli per ætatem capaces haud essent, consequens fuit, ut sic *aliena fidei professione salvarentur, qui voluntate aliena peccaverunt.* Hanc ipsam fidem externo signo aliquo testatam author est cumprimis D. Augustinus.

IV. *Status Legis* præter jam dictum fidei Sacramentum habuit insuper aliud

liud proprium masculæ stirpi Abrahæ, circumcisionem videlicet, quæ non modo signum fœderis Deum inter, & Abrahamum sanciti Gen. 17. fuerat, sed etiam juxta Apostolum ad Rom. 4. *signaculum justitiæ fidei.* Præter circumcisionem imperata quoque est *Ministrorum consecratio*, esus *Agni Paschalis*, *victimarum* & *panum propositionis*, quæ cuncta an ex merito Sacramentorum numero accenseantur, id usque huc a nullo PP. aut Conciliorum est determinatum, absit ut nobis id determinandum sumamus.

## §. III. Existentia Sacramentorum N. L.

In statu L. N. dantur vera Sacramenta, eaque septem, nec plura: Baptismus videlicet, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* quæ inter sacros ritus a Christo institutos, qui vera Sacramenta sint, refert septem, nec plures: nam Baptismo ait regenerari hominem Joan. 3. & salutem parari Marc. 16. Confirmatione præberi Spiritum S. Act. 8. 17. & 19.. Eucharistia vitam affert æternam ex Joanne 6. & Christi corpori nos inserit, sic ut unum cum illo efficiamur 1. ad Cor. 10. Pœnitentia dimittit peccata Joan. 20. Idem præstat Extrema Unctio. Jac. 5. Ordo donat gratiam 1. ad Tim. 4. & 2. c. 1. Demum Matrimonium cum ex Apostolo ad Ephes. 5. *Sacramentum magnum* sit, a lege Sacramentorum, quæ est sanctificatio hominis, deficere nequit.

II. *Universalit. PP. Baptismo* remissionem peccatorum tribuit Justinus in Dialogo cum Tryphone. Tertullianus Lib. de Bapt. & Resurrect. *Confirmationi* robur & Spiritum S. tribuunt Dionysius de Eccles. Hierarch. P. 3. c. 4. Origenes Hom. 8. & 9. in Levit. *Eucharistiæ* S. Ignatius Epist. ad Ephes. S. Irenæus Lib. 4. c. 34. *Pœnitentiæ* Cyprianus Lib. de lapsis. Athanasius serm. in verba: *profecti in pagum. Extremæ Unctioni* Orig. Hom. 2. in Levit. Chrysost. Lib. 3. de Sacerd. *Ordini* Dionys. Eccl. Hier. c. 5. Ignatius Epist. ad Smirnæos. *Matrimonio* Martialis Epist. ad Tholos. Tertullianus Lib. 2. ad uxor. c. 9. de Monog. Clemens Alexandr. Lib. 3. & 4. Stromat. unus sit pro omnibus Augustinus, qui, etsi non simul, sparsim tamen omnia septem Sacramenta memorat. nempe L. 1. de Bapt. c. 20. *Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam.* Serm. 215. de Temp. *Extremam Unctionem.* L. 2. contra Epist. Parmeniani c. 13. *Ordinem.* L. de bono conjug. *Matrimonium.*

III. *Consens. Perpet. Utriusque Eccles.* illa evincitur imo ex vetustissimis Græcorum Euchologiis, & Latinorum Ritualibus, in quibus legere est rationem

Sacra-

Sacramenta administrandi. 2do Ex anathematis sententiis omni ævo in Sacramentorum hostes latis. Sic Sæcul. III. damnati sunt Novatiani, qui Neophytis confirmationem negarunt. Itidem Sæcul. III. ac etiam IV. Montanistæ. Manichæi abrogantes Matrimonium. XIV. Wicleffitæ negantes Extremam Unctionem. XVI. Omnes vel plura vel pauciora asserentes; idem factum novissime in Ecclesia Græca contra Cyrillum Lucar (aliis Lascar) a Concil. Constantinop.

IV. *Præscriptione.* Quo primum tempore hæc de septem Sacramentis doctrina nota fuerit, qua ætate inoleverit, quibus artificiis, quibus suasoribus fuerit ab omnibus approbata, Sectarii designare nequeunt, ergo a Christo profecta est hæc doctrina, ac deinde Apostolorum ac PP. Traditione ad nos usque transmissa. Illatio ex illo Tertulliani de præscript. c. 21. firmatur: *constat omnem doctrinam, quæ cum Ecclesiis Apostolicis, Matricibus & originalibus fidei conspiret veritati deputandam, id est sine dubio tenendum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit.* Accedit altera D. Augustin. L. 4. de Bapt. c. 24. Regula: *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Consect. Scholast. Moral. I. Quemadmodum vero in Christo potestas eadem instituendi fuit: sic & ab ipso solo institutio Sacramentorum omnium immediate promanavit. Nam *Deus est, qui justificat*, ad Rom. 8. *gratiam & gloriam dabit Dominus.* Psal. 83. unde & Ambros. Lib. 4. de Sacram. c. 4. *author*, inquit, *Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? de cælo ista Sacramenta venerunt.*

II. Is ipse instituens eorum materiam & formam determinavit: & quidem universaliter pro tota Ecclesia. Quod probe intelligens Ecclesia nunquam in sua potestate esse duxit, quidquam eorum, quæ a Christo definita sunt, circa res aut verba antiquare, aut innovare, aut quomodolibet pervertere, divinæ enim authoritatis, prodigium est, Ecclesiam in Ministerium quidem vocatam esse a Deo, at non in communionem, aut successionem potestatis.

III. Quantumvis Ecclesia in ipsam Sacramentorum substantiam nil juris habeat, multa tamen potest circa ea, quæ ritus Sacramentorum spectant. Id quod Trid. sess. 21. c. 2. liquido declaravit. Substantialem autem materiæ mutationem tunc dicimus intercedere, cum ita res Sacramenti mutatur, ut æstimatione & secundum communem loquendi morem res jam eadem appellatione non veniat, nec maneat eadem ex usu hominum. Formæ contra mutationem substantialem tunc occurrere, cum institutorum a Christo verborum sententia sensusque deperditur. Porro octo modis contingere solet aut potest verborum variatio: *additione, detractione, depravatione grammatica, transpositione, inter-*

*terruptione*, *substitutione*, *corruptione ob linguæ vitium*, *repetitione*.

IV. Nobis tamen id maxime conveniet, ut etiam accidentalem, quamquam valori non obsit, mutationem fugiamus quam cautissime. *Oportet enim*, ut ait Basilius Lib. de Spirit. S. c. 12. *inviolabilem manere traditionem: a vita enim & gratia excidit, qui aliquid addit aut detrahit.*

## §. IV. Verbum Sacramentorum.

Verbum quod cum elemento facit Sacramentum, non est concionale, sed consecratorium. Atque idcirco nec voce elata, nec plebejo sermone necessario est proferendum.

DECLARATIO I. *Universalit. script.* cui oppido solenne est, verba illa invocationis & benedictionis nuncupare. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est?* Ait Apost. ad Cor. 10. v. 14. & Act. 22. Ananias Paulum sic fertur allocutus: *exurge, & baptizare & ablue peccata tua invocato nomine ipsius.* Ipsa denique verba a Christo pro Baptismo præscripta Math. 28. formam benedictionis non concionis habent. Nec enim dixerat: *docete omnes gentes nomen Patris* &c. sed *baptizantes in* NOMINE *Patris* &c. quod ut actum baptizandi respicit, ita invocationem sanctissimæ Trinitatis sonat.

II. *Antiquit. PP.* Verbum sane consecratorium dici debet, quo accedente elementum natura sua profanum fit Sacrum, & ad Sacramenti ordinem provehitur; sic prorsus usuvenire aquæ, pani &c. prolatis Christi verbis, quibus forma constat, testes sunt Patres omnes. Cypr. serm. de Bapt. *verborum solemnitas, & Sacri invocatio nominis & signa institutionibus Apostolicis, Sacerdotum ministeriis attributa visibile celebrant Sacramentum.* S. August. Lib. 19. contra Faust. agens de Bapt. *illæ*, ait, *syllabæ celeriter sonantes, & transeuntes . . . nisi dicantur, non consecratur.* Et L. 6. de Bapt. c. 25. *Deus adest evangelicis verbis suis, sine quibus Baptismus consecrari non potest, & ipse sanctificat Sacramentum suum.*

III. *Consens. Trad.* Pædobaptismus etiam in primæva Ecclesia semper pro rato est habitus, quin unquam ejus occasione concio adhiberetur. Quin Concil. Constantinop. I. A. 381. habitum quod erat Generale II. agnovit validum esse Baptismum Arianorum, Macedonianorum &c. eo quod præscriptam a Christo formam servarent: atqui prædicti Hæretici nunquam ullam adhibuere concionem, & si adhibuissent, ea utique tanquam hæretica infructuosa fuisset. Ergo.

CONSECT. POLEMIC. MORAL. I. Igitur minime ferenda illa Novatorum criminatio est, qua magiæ, & nescio incantationis cujusdam Kemnitius Ecclesiam ream peragit. Quidquid agimus, totum Christi institutione,

ne, exemplo & præcepto nititur. Si magiæ ſpeciem habet, *quod verba non ad fidem aliter excitandam in aliis, ſed in elementum inanime & inops mentis ac aurium proferimus:* certe & ipſe Chriſtus magus fuerit neceſſe eſt, cum imperavit mari & ventis, & ad magiam nos erudiit. Marci 11. Si tanta vis humanæ voci præeunte fide, ut e radice emoti montes viam aperiant, cur divino verbo negetur ea vis, ut aquam conſecret?

II. Verba concionis, quæ in Sacramentis fingunt Sectarii, radix ſunt & ſemen complurium errorum. Hinc progerminat, ut Sacramenta non operentur aliter, quam mediate excitando fidem, ut N. Legis nihil præ veteribus Sacramentis excellant. Hinc ſequitur, ut non poſcant in Miniſtro intentionem, & quemvis Miniſtrum idoneum exiſtiment, ut vel cum Anabaptiſtis fateri cogantur, parvulis invalide adhibere lavacrum. Aut cum Calvino ſine fructu vel cum Luthero neceſſe habeant adſtruere in parvulis expeditæ mentis prodigium. Hinc demum oritur nullam Baptiſmi recipiendi neceſſitatem eſſe, nec materiæ ipſius magnam rationem habendam, quando ad excitandam fidem ſola concione opus eſt, non receptione Sacramenti, non materia, non miniſtro initiato, non ejus intentione.

## §. V. Gratia Sacramentorum.

Generalis & communis Sacramentorum effectus eſt gratia ſanctificans, quam omnia immediate conferunt non ponentibus obicem ex opere operato.

DECLARATIO. I. *Conſenſ. Script. & PP.* quorum teſtimonia, qui ſingillatim colligeret, Tomos ut conſcribat, neceſſe eſſet. Confer. §. 1. 3. & 4. Suffragantur & Conc. Nicænum I., quod cap. de Bapt. vim illi Sanctificationis ineſſe ſignificat. Et Conſtantinop. I. A. 381. in Symbolo fidei, *Confitemur*, inquiens, *unum baptiſma in remiſſionem peccatorum.*

II. *Conſenſ. Rationis Theolog.* Lutheranis ipſis & Calviniſtis judicibus Sacramenta non inutiliter dantur infantibus, amentibus, & alia quavis cauſa uſu rationis deſtitutis, ſed his nequeunt prodeſſe ex opere operantis, quatenus excitarentur ad fidem juſtificantem, cum hujuſmodi fidei incapaces ſint infantes, & adulti rationis impotes: ergo prodeſſe debent ex opere operato. Et vero cur non producant gratiam ex opere operato? An quia jam ſic independente a Deo virtute agerent elementa? An quod ex axiomate perhibeamus obtingere peccatori juſtitiam citra *fidem*, & abſque omni pio cordis motu. Ut Lutherus Lib. de Captiv. Babyl. c. de Bapt. interpretatus eſt? At omnia hæc imponi nobis nec niſi ſupina rerum ignoratione affirmari, aut ad conflandam invidiam ex ingenio Hæretico-

rum

rum esse procusa norunt omnes, qui Tridentinorum Patrum formulas inspexere. Dissipent igitur Patres nubem, & in luce collocent omnes causas ad justificationem convenientes.

III. *Consens. Trid.* Est ergo ex PP. sententia Sess. 6. c. 7. *causa finalis* gloria Dei ac Christi & vita æterna. *Efficiens* misericors Deus, qui gratuito abluit, & sanctificat. *Meritoria* D. N. J. C. qui in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis satisfecit. *Instrumentalis* sunt Sacramenta. *Formalis* justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua donati renovamur Spiritu mentis nostræ, & justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult & secundum propriam cujusque dispositionem. Disponuntur autem adulti ad justitiam ex c. 6. Sess. ejusd. *per fidem*, *per timorem*, quo utiliter concutimur, *per spem* fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: *per amorem*, quo illum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipimus. Denique *per peccati odium*, *detestationem* & *propositum eumque pœnitentiam*, quam ante Baptismum agere oportet.

CONSECT. SCHOLAST. MOR. I. Modum autem ipsum, quod attinet, quo Sacramenta gratiam causare dicuntur, Thomistarum quidem sententia propius ad PP. phrasin accedere videtur, mentem tamen ipsam securius assecuti sunt Scotistæ, cum moralem duntaxat efficientiam Sacramentis concedunt.

II. Et quemadmodum Sacramenta mortuorum ordinarie conferunt gratiam primam, quibusdam casibus autem secundam, ita Sacramenta vivorum per se ac communiter operantur gratiam secundam: per accidens etiam in aliquibus circumstantiis primam efficere possunt, & ea quidem ratione.

III. Ut Sacramenta ejusdem speciei in subjectis æqualiter dispositis æqualem causent gratiam, inæqualem autem in inæqualiter dispositis, majorem scilicet aut minorem pro ratione dispositionis. Diserte enim Concil. Trid. Sess. 6. c. 7. loquente, justificationem in nobis recipimus non tantum secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, *verum etiam secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem.*

## §. VI. Character Sacramentorum.

Existit Character Sacramentalis, conferturque is per Baptismum, Confirmationem & Ordinem.

DECLARATIO I. *Consens. Script.* 2. Cor. 1. legitur: *qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Eph. 1. *in quo* (Christo) *credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis*

*ditatis nostræ.* Neque interim solis his Scripturæ testimoniis rem evictam volumus, conjungenda sunt cum PP. sensu & traditione. Unde

II. *Consens. PP.* sane nihil tam assiduo apud Patres leges, quam *characteris* nomen, aut quæ tantundem valent: *Signi, Sigilli Dominici, Signaculi Spiritualis, notæ* &c. *Baptismo* assignat suum characterem Ambros. de Myst. c. 7. *repete*, inquit, *quia accepisti signaculum spirituale.* S. Chrysostom. Hom. 2. in illud Apostoli ad Ephes. 4. scribens ait: *porro character Spiritus Sancti vos insignivit. Ordini* characterem tribuit Augustinus in Epist. ad Cæsar. De charactere *Confirmationis* satis luculentum testimonium præbet D. Ambros. Lib. 1. de Spiritu S. cap. 6.

Consect. Scholast. I. Quam certa autem characteris natura, si theologice expendatur, tam incerta illa philosophice accepta. Sitne quid physicum an morale, entitas an modus animæ, relatio an qualitas, quamvis in utramque partem problematice defendere parati sumus, existimamus tamen fidei, aut Ecclesiæ nihil interesse, in quam se quis partem dederit, sub quorum scholasticorum Thomistarum an Scotistarum signis militet, Neotericis an Peripateticis animum addicat. Scilicet cum de charactere aut gratia agitur, serendæ non sunt lites philosophicæ. Cœlestia illa dona sunt, non igitur ex Aristotelis categoriis definienda.

II. Illud ergo integrum certumque habemus, *gratiam sanctificantem, characterem sacramentalem*, & quæ sunt dona similia, esse *intrinsecum quiddam, permanens, inhærens, impressum animæ*, sive deinceps intrinsece & permanenter inhæreat instar entitatis & gemmæ in annulo, sive instar figuræ, & imaginis in gemma. Quem posteriorem modum hodiernis Philosophis præplacere intelligimus, & ad Conciliorum Patrumque de charactere loquendi morem propius accedere, affirmare haud veremur: ita illi constanter characterem *figuram, notam, sigillum, signaculum, signum* dixere.

## §. VII. Minister Sacramentorum.

Minister Sacramentorum a Christo institutus est quidem solus homo viator; at non omnis omnium.

DECLARATIO I. P. *Antiquit. script.* Apostolus ad Hebr. 5. conditiones Ministri describens ait v. 1. *omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum: ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* v. 2: *qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate.* v. 3. *Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre*

*offerre pro peccatis.* At soli homines viatores sunt infirmitate circumdati, peccatis obnoxii, & qui condolere possint, igitur &c. Unde Chrysost. L. 3. de Sacerd. *his qui terram incolunt commissum est, ut ea, quae in coelis sunt, dispensent. Iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus Optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit.*

II. P. *Universalit. Trad.* qua novimus jam inde ab Apostolorum temporibus ad aetatem usque nostram non fuisse passim a quibusvis ministrata Sacramenta, verum ad id muneris peculiariter delectos quosdam, ac legitima consecratione ordinatos. Id quod jam Apostolus 1. ad Cor. 12. v. 5. tradidit asserens in Ecclesia *divisiones ministrantium*, & v. 6. *divisiones operationum*, quod postquam eleganti similitudine, ducta a corpore humano membris diversissimis constante, illustravit: v. 28. concludit etiam in Christi corpore, quod est Ecclesia, *quosdam esse Apostolos, non omnes Prophetas, nec omnes Doctores.* Atque in hanc rem clara sunt ex Conciliis, & Scriptoribus Ecclesiasticis testimonia, pro invalidis semper fuisse pronuntiata Sacramenta, quae forte contigit ministrari per eos, qui Ecclesiastica Consecratione in numerum Sacrorum Ministrorum non fuerunt relati.

Consect. Schol. Hist. I. Quodsi de extraordinario Sacramentorum Ministro quaeratur, haud negamus Summa Dei potestate fieri posse, ut beatis hominibus & Angelis nonnunquam id muneris demandetur: neque abrogamus fidem Nicephoro Lib. 11. Hist. Eccl. c. 20. narranti S. Amphilochium Iconii Episcopum ministerio Angelorum consecratum, in veri Episcopi loco ab Ecclesiis fuisse agnitum, quis enim ambigat, Deum, quemadmodum liberrime Ministri conditiones, quas diximus, praefixit, ita pro arbitratu posse detrahere?

II. Malis Angelis etiam perinde ac bonis lege Dei extraordinaria potestatem Sacramenta ministrandi posse conferri Sub. Doct. in 4. Dist. 6. Q. 1, impune docuit. Ut autem Sacramentum ab hujusmodi Ministro ministratum pro rato habere possit, revelatione divina opus est, qua certi reddamur, eum potestatem ministerii hujus a Deo accepisse.

## §. VIII. Intentio Ministri.

Fide certum est ad Sacramenti veritatem, & substantiam requiri in Ministro intentionem seriam & sinceram saltem faciendi, quod facit Ecclesia; sic ut Sacramentum nullius sit roboris, si mimice & jculariter ritus externus peragatur.

DECLARATIO I. *Consens. Script.* Sacramentorum Ministri sunt *Ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei* juxta Ap. 1. Cor. 4. quare ut conficiant Sacramenta, necesse est eos agere ex potestate a Christo derivata, atque ut ejus Ministros; at sic neutiquam agunt, si aut nulla instructum intentione animum adferant, aut per jocum, derisum, & ludibrium rem tractent, aut etiam non eo animum intendant, ut faciant, quod Christus instituit, quod facit Ecclesia. Ita nemo ratam censuerit judicis sententiam si eam temere, ebrius, dormitans aut aperte cum irrisione pronuntiat.

II. *Antiquit. Factorum.* Cornelius P. Epist. ad Fabium Antiochen. consecrationem Novati nullam accusavit eo nomine, teste Eusebio Lib. 6. Hist. c. 43. *quod homines simplicioris ingenii, quos ad id comparaverat inclusos, hora decima temulentos & crapula oppressos adumbrata quadam & inani manuum impositione Episcopatum sibi tradere per vim coegerit, nulloque sibi jure competentem per fraudem atque insidias vindicarit.* Ergo neque homo ab omni intentione alienus ac vacuus, nuda positione signorum efformet Sacramentum. Nec obstat Genesii aut Athanasii factum; hunc non aqua, quam histrionicus mystes illi per scenam exhibuit, sed flaminis Baptismo expiatum esse defendimus. Hunc baptizasse pueros per ludum extrinsecum, minime per intrinsecum, & inhærentem Baptismo. Quam sapienter igitur Alexand. VIII. A. 1690. proscripsit inter alias hanc prop. num. 28. *valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem actum externum formamque baptizandi observet, intus vero in corde suo apud se resolvit, non intendo, quod facit Ecclesia.*

CONSECT. SCOLAST. MORAL. I. Ab Historiis regredimur ad scholastica, atque ad Ambrosii Catharini sententiam exponendam. Constanter tenemus in Ministro Sacramentorum non sufficere intentionem externum duntaxat Ecclesiæ ritum peragendi; verum eam requiri, quæ intendat conficere Sacramentum; idque vel sub hoc explicito conceptu, vel saltem confuso, volendo nempe generatim id, quod per ritum externum facit Ecclesia. Illorum tamen conatus haud probamus, qui Catharini sententiam censuris exponunt. Præsertim quod Eminent. Pallavicino teste in Hist. Conc. Trid. P. 2. per communes PP. acclamationes ad Episcopatum promotus fuerit, & qui tunc synodo legatus præerat, postea Pontifex Maximus nobiliore virum tiara exornaverit; quod nunquam commissuri erant, si aut opiniones a Catharino defensæ suspicione hæreseos laborassent, aut illas proscribere aliquando in animum induxissent Patres.

II. Reliquum est, ut actualis, habitualis, an virtualis debeat esse intentio, cujus hactenus meminimus, decernamus. Et in actu positam quidem, quamquam præoptanda sit illa, necessariam non esse evincit vel ipsa Christi institutio & hominis infirma

con-

conditio. Neque tamen probatur habitualis intentio, sed necessaria est omnino virtualis. Utriusque ratio ex praxi & sensu Ecclesiæ petitur. Tum inde quod ebrii etiam & amentes modo humano non agentes, agere nihilominus possint ex intentione habituali sive non retractata, cum econtra virtualis intentio ad quamvis humanam liberam actionem moralem abunde sufficiat, & sola sit par in actiones Sacramentales influendi.

## §. IX. Fides & Probitas Ministri.

Nec ex perversitate, neque ex fidei defectu polluuntur, aut irrita fiunt Sacramenta.

DECLARATIO I. *Consens. Rationis & Auth.* & quidem præcipue Augustini, qui utrumque doctrinæ caput adversus Donatistas pro virili sustinuit, ac vindicavit. Princeps autem & invictum argumentum huc fere redit. Baptismus cæteraque Sacramenta non sunt cujusquam hominis mortalis, sed Christi ipsius, sive quia ex ejus potestate, ac instituto descendunt; sive quia verbis, meritis, & ejus invocatione perficiuntur, ac consecrantur, seu denique quia sola Christi virtus in Sacramentis operatur: ergo Baptismus semper æqualis & idem est, a quocunque Ministro præbeatur. Unde Tract. 5. in Joan. *aliud est baptizare*, inquit *per ministerium, aliud per potestatem: Baptisma tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur: non qualis est ille, per cujus ministerium datur.* Inde avitam Ecclesiæ consuetudinem & Traditionem Apostolicam apposuit. Lib. 2. de Bapt. c. 9. *consuetudinis robore*, inquiens, *tenebatur orbis terrarum, & hæc sola opponebatur inducere volentibus novitatem.* Oppugnavit præterea Augustinus Donatistas specialibus argumentis Lib. 2. contra Parmen. c. 13. Lib. 1. de Bapt. c. 1. & fuse in Lib. contra Donatistas.

CONSECT. HIST. I. Primus in Africa Agrippinus Decreto Ecclesiæ irritum pronuntiavit Hæreticorum Baptisma. In cujus sententiam convenit & Tertullianus. Quis autem, cui errandi occasionem dederit, atque an ex Africa in Asiam, vel econtra error propagatus sit, incertum est, affirmamus libentius, hanc etiam controversiam ex earum numero esse, quas, cum intricare possis, finire non possis.

II. Certum vero Cypriani & Firmiliani opera errorem confirmatum fuisse. Quorum de hoc argumento epistolas tanquam genuinas recipimus, quas equidem suppositas & commentitias esse Cl. P. Raymundus Missorius noster Lib. XXIII. c. 5. contendit, at non perinde evincit.

III. Stephanus autem promiscue Hæreticorum Baptismum non probavit; nec Cyprianum aut Firmilianum

Ec-

Ecclesiastica communione exclusit; nec hi ipsi mutarunt sententiam, ut in re, quam ad fidem potius, quam consuetudinis referebant.

IV. Quodnam autem illud fuerit plenarium Concilium, quo Augustinus diremptam controversiam ait, etiam num inter eruditos disceptatur, Launojo cum quibusdam pro Arelatense I. Joan. Nicolao contra cum plurimis pro Nicæno I. depugnantibus. Nicænum I. attamen intellectum verisimilius est, utpote cui aptius notæ ab Augustino statutæ conveniunt.

## §. X. Cæremoniæ Sacramentorum.

Novitium esse in Ecclesia Cæremoniarum usum putida est Hæreticorum calumnia.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Dimanasse ad nos non paucos ritus ex institutione Apostolica habemus ex ipsiusmet Apostoli testimonio 1. ad Cor. 11. *cætera autem, cum venero, disponam.* Ubi per *cætera* ritus varios ad solennia festorum, liturgiam & Ecclesiam pertinentes Augustinus intellexit. Certe quædam ea sunt antiquitate, ut cum initia earum in nullis Conciliorum aut Pontificium statutis reperiantur, juxta regulam Tertulliani & Augustini ab ipsis Apostolis traditæ censeri debeant. Unde & ex Apostolica Traditione profluxisse ait laud. Augustinus, *quod cibum Eucharisticum jejuni manducemus.*

II. *Consens. PP.* clarum est in hanc rem testimonium Tertulliani L. de corona Milit. c. 3. & 4. *harum & hujusmodi disciplinarum, si leges expostules scripturarum, nullam invenies; Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Idem testatur Basilius L. de Spir. S. c. 27. at id genus multa etiam Gentiles in suis Sacris usurpabant; quid tum vero? *sicut non ideo contemnenda vel detestanda est Virginitas Sanctimonialium, quia & Vestales Virgines fuerunt; sic non ideo reprehendenda Sacrificia Patrum, quia sunt & Sacrificia gentium.* August. contra Faust. L. 20. c. 21. retinuit Ecclesia externa rituum signa, at simul eadem ad cultum veri Dei, fovendamque Religionem evexit.

CONSECT. MORAL. I. Et ritus quoque plurimi excitandum, animandumque Sacramentorum subjectum spectant, id quod est solus homo viator. In quo, si sit adultus, & vera aliqua intentio suscipiendi Sacramenti requiritur, non quidem necessario in actu posita, aut virtualis, sed habitualis duntaxat.

II. Præter intentionem tamen ad fructum ex Sacramentis reportandum requiritur universim fides suscipientis, quamvis ad integritatem necessaria non sit. Neque tamen sola fi-

des

des ad gratiam via Sacramenti obtinendam sufficit, sed compluribus omnino virtutum actibus præparandus est hominis animus, ut suscipiendæ gratiæ per mortuorum Sacramenta idoneus evadat.

III. Ut vero ex Sacramentis vivorum referatur fructus per se loquendo necessariam esse fidem charitate informatam ex Trid. tenemus, eum proinde, qui gravis culpæ sit conscius ad Eucharistiam Confessionis Sacramentalis remedio, ad cætera Sacramenta percipienda saltem perfecta contritione præparandum & expurgandum esse.

# DISQUISITIO II.

## DE SACRAMENTO BAPTISMI.

### *UNIVERSALITAS, ANTIQUITAS, CONSENSIO CONCILIORUM.*

Ex C. Carthag. I. A. 348. c. 1. Baptismus collatus in Trinitate ne iteretur.

Ex Milevitano II. A. 416. c. 2. contra negantes, parvulos recens ab uteris matrum baptizandos.

Ex Toletano A. 633. c. 6. de trina & simplici mersione.

Ex Wormat. A. 868. c. 5. sive triplici, sive simplici ablutione recte baptizari.

Ex Lateran. A. 1215. c. 1. Baptismus rite collatus prodest ad salutem parvulis & adultis.

Ex Florent. Decret. *Exultate*, Baptismus primum & janua Sacramentorum, materia aqua naturalis, forma, *ego te baptizo* &c. vel: *baptizetur servus Christi*. Minister ordinarius Sacerdos; effectus, remissio omnis culpæ & pœnæ. Cætera.

Ex Trid. Sess. 7. Baptismus Joannis non habuit eandem vim cum Baptismo Christi. Verba illa *nisi quis renatus* &c. non sunt ad metaphoram detorquenda. Baptismus qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus S. cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia est verus Baptismus. Cætera.

Prop. Damnat. ab Alexand. VIII. XXVII. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: in nomine Patris &c. prætermissis illis: *ego te baptizo*.

XXVIII. Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *non intendo, quod facit Ecclesia.*

## §. XI. Natura Baptismi.

Baptismi indolem Tertullianus Lib. de Bapt. brevi hoc exordio eleganter præformavit: *felix Sacramentum aquæ nostræ, quo ablutis deli-*

*delictis pristinæ cæcitatis nostræ in vitam æternam liberamur.* Definitur enim revera ille ex Catech. Concil. Trid. P. II. de Sacr. Bapt. *Sacramentum regenerationis in verbo.* Unde a Baptismate Joannis ritu, efficacia, & prærogativa omnino diversus fuit.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Joannes ipse prorsus ad substantiam pertinens discrimen exhibet Math. 3. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam, qui autem post me venturus est, ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto.* Baptismus Joannis erat duntaxat *Baptismus pœnitentiæ.* Luc. 3. a Christo institutus fuit *lavacrum regenerationis:* & *salvos nos facit* ad Tit. 3. ad quæ reflectens animum Origenes in Joan. T. 8. *regeneratio,* inquit, *non apud Joannem, sed apud Jesum per Apostolos suos fiebat, atque etiam regenerationis, quod dicitur, lavacrum.*

II. *Consens. PP.* Basilius Hom. 1. de Bapt. *quanto,* inquit, *præstantior est Spiritus S. aqua, tanto excedit, qui baptizat in Spiritu Sancto, illum, qui baptizat in aqua, & ipsum adeo Baptisma.* Chrysologus Serm. 130. *per Baptisma Joannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam.* Paucis rem laud. Tertull. c. 10. expressit: *qui præparat, non idem ipse perficit, sed alii perficiendum procurat.*

CONSECT. HIST. I. Esse Christum Baptismi authorem tam valida Scripturarum fide communita est veritas, ut ne petulantissimi Hæreticorum, quibus in deliciis est miscere omnia, ad dogma hoc confundendum animum adjecerint unquam. De solo itaque institutionis tempore dubitatur. Bifariam divisis inter se non modo Scholasticis Doctoribus, sed & ipsis Patribus. Nos Augustini vestigiis insistentes cum plerisque Baptismum a Christo ante passionem, resurrectionemque fundatum esse sustinemus.

II. De tempore vero, atque ut ita dicam, die, locoque institutionis, quæ multa contentione versant Theologi, sententiam nostram candide profitemur, non constare certum Baptismi a Christo ante passionem instituti tempus.

## §. XII. Materia Baptismi.

Sola naturalis aqua est remota Baptismi materia. Unde Cajanitæ, Archontici, Manichæi, Seleuciani, Pauliciani, Bogomili aliique aquæ naturalis hostes quam merito sunt damnati.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Quid enim nisi necessitatem aquæ tradit Christus Nicodemo Joan. c. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua?* & quid aliud

liud ab Apostolo ad Ephes. 5. laudatur *Christus dilexit Ecclesiam .... mundans eam in lavacro aquæ?* quæ effata ad solam naturalem aquam pertinere, neque cum Socino & Calvino ad sensum figuratum trahi posse apertissime convincit Exemplum Christi, & Apostolorum. Christum perinde ac Joannem baptizasse aquæ elementaris ministerio, facile eruitur ex Joan. 3. v. 22. *post hæc venit Jesus & discipuli ejus in terram Judæam, & illic demorabatur cum eis & baptizabat; erat autem & Joannes baptizans in Ænnon juxta Salim, quia multæ aquæ erant ibi.* Apostolorum praxis elucet Act. 8. ex Philippo, qui cum Eunucho Reginæ Candacis descendit in aquam, & *baptizavit eum.*

II. *Universalit. PP.* Justini Apolog. 2. Tertulliani Lib. cit. de Bapt. Cypriani Lib. 3. ad Quirin. c. 25. Augustini, cujus in hanc rem vulgatissima sunt effata. Tr. 15. in Joan. *quid est Baptismus Christi? lavacrum aquæ in verbo: tolle aquam, non est Baptismus: tolle verbum, non est Baptismus.* Et in eund. Tract. 80. *quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

CONSECT. HIST. MORAL. I. Proxima autem Baptismi materia est ablutio per aquam. Perinde autem ad Substantiam est, seu ea fiat per immersionem, seu per affusionem, seu demum aspersionem. Quid enim est, quo Christus Baptismum suum perfici voluit? *docete baptizantes* ajebat ad Apostolos. Ablutionem duntaxat per aquam isthic imperat, & ablutionis modum non determinat.

II. Et licet trinæ mersionis morem ab Apostolis profluxisse certo credatur, neque tamen hic mos vel primis Ecclesiæ Sæculis adeo stabilis fuit, ut non aliquando ab eo recederetur. Eo ipso certe tempore, quo immersio religiosissime observabatur, infantes periculose decumbentes, aut ægros præsertim Clinicos, seu lecto affixos per affusionem, vel aspersionem baptizatos fuisse testis est S. Cyprian. Ep. 76. ad Magnum Ep. cujus doctrinam & approbat S. August. Lib. 6. contra Donat. c. 7. Sæc. VI. Greg. M. Baptismum una deinceps immersione administrari jussit. cujus Decretum PP. Concil. Tolet. IV. per Hispaniam promulgandum judicarunt.

## §. XIII. Forma Baptismi.

Ad valorem Baptismi in ejus forma necessario est exprimendus actus baptizantis per hæc aut his æquivalentia verba: *Ego te baptizo.* Item distincta trium divinarum Personarum P. & F. & Sp. S. invocatio, hacque ipsa semper usi sunt Apostoli baptizantes.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script. & Trad.* Assertum tria stauit, pro omnibus generatim, facit institutio Christi, hac & non alia ratione volentis

tis ministrare Baptismum. Id quod ex Christi apud Math. 28. verbis deducitur: *euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine* &c. Ex quibus uti SS. Trinitatem invocandi, sic & actionem baptizantis exprimendi necessitatem ducit Ecclesia, quæ unica est divini verbi interpres.

Unde quemadmodum quoad 1m vetustissima Græca & Latina Ritualia (quorum plurima refert Martene L. 1. de antiq. rit. Eccl.) in forma Baptismi præscribunt verba: *ego te baptizo*, vel *baptizatur servus*. Ita quoad

2m prostant Decreta Conciliorum, præsertim Arelatens. I. Nicæni I. Laodiceni, Constantinopol. I. & Arelatens. II. quæ rebaptizari jubent Hæreticos, idque ex causa non alia, quam quod baptizati non sint in nomine SS. Trinitatis.

3m Tam diu indubium manet, quam diu Adversarii non certo evincant, Apostolos a lege generaliter lata fuisse immunes. Ubi autem hujus ex scriptura, aut Traditione, vel Patribus & Conciliis sufficiens testimonium? quin contrarium non obscure indicant PP.

II. *Consens. PP.* Sæc. I. Ecclesiastica Hierarchia, quam novissime *Don Claudius David* e Congreg. S. Mauri S. Dyonisio Areopagitæ vindicavit, c. 2. hæc suppeditat *in loco superiori stans ter baptizandum demergit, atque in tribus ejus, qui initiatur, demersionibus, emersionibusque trium divinæ beatitudinis Personarum nomina appellat.* Sæc. II. Justinus M. in Apolog. pro Christianis similia profert. Sæc. III. ejusdem doctrinæ testis est Cyprianus Ep. 73. ad Jubai. Ubi referens, quod Act. 2. dixit S. Petrus: *baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini N. J. C.* sic illud explicat: *Jesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur... post resurrectionem a Domino Apostoli ad gentes mittuntur ... in nomine P. & F. & S. S. baptizare gentiles jubentur: quomodo ergo quidam dicunt foris, extra Ecclesiam, imo & contra Ecclesiam modo in nomine Jesu Christi ubicunque & quomodocunque gentilem baptizatum remissionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* eodem tenore hoc ipso sæculo scripsit Tertull. L. de Bapt. c. 6. reliquos Sæculorum ordini sibi invicem succedentes exhibet Cl. P. Renatus Hyacinthus Drouven Ord. Prædic. 17. capitibus adversus Augustinum Orsium hanc veritatem eximie propugnans. His adde: cum Act. 19. discipuli quidam de Spiritu S. interrogati, nihil de eo audivisse responderent, Paulus admirans, *in quo ergo,* inquit, *baptizati estis?* ex quo jure conficitur tam Paulum, quam reliquos Apostolos non in solo Christi nomine (quod Adversarii contendunt) sed & Spiritus S. baptizasse. Sed & aliud in Adversarios sic construi potest argumentum ex Christi verbis: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* item ex illis Joannis Bapt. Lucæ 3. v. 16. *ipse vos baptizabit in Spiritu*

*ritu S.* & Act. 1. v. 5. *vos autem baptizabimini in Spiritu S.* Teste Basilio Lib. de Spir. c. 12. erui nequit, perfectum esse Baptisma in solo nomine Spiritus S. aut in solo hoc baptizasse aliquando Apostolos. Igitur etiam ex verbis Act. 2. v. 38. *baptizatur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi.* Et c. 8. v. 12. *baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu.* Et c. 10. v. 28. *jussis eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi*, nulla legitima illatione quisquam concluserit, numeris suis absolutum esse, aut in Apostolorum more Baptisma sola Christi Jesu invocatione consecratum.

Consect. Hist. I. Ut vero nulla causa adeo profligata est, quæ Patronos non nanciscatur, producunt Adversarii cum Magistro sententiarum turbam Scholasticorum, atque adeo ipsum Doctorem Angelicum, Subtilem & Mellifluum, qui in Epist. ad Henricum Aurelian. ait *legimus in Actibus Apostolorum non modo in nomine P. & F. & Sp. S. verum & in nomine D. J. C. aliquos baptizatos.*

II. Ut nullis utamur ambagibus, Doctores prælaudatos adversus nos facere fatemur. Sed in facti quæstione, & historico themate, cui studiose operam non dederint, licebit abs piaculo iisdem dissentiri. Malebant nempe viri illi, ut ut maximi, quorundam ante se vestigiis insistere, quam ad severam censuram opinionem, usus non maximi, exigere, & quæ Veteribus Patribus mens in re eadem fuerit, anxio & collocato labore disquirere. Excusandi sunt igitur, non sequendi. Nunc præcipue cum Sententia nostra in tanta est luce posita, ut Adversarii, quanquam multis jam Sæculis eorum circumfertur opinio, nil tamen præsidii ex vetustate comparaverint.

## §. XIV. Vindiciæ Nicolai M.

Nicolaus M. in suo ad consulta Bulgarorum, de Baptismate in nomine Christi collato, responso neque qua Doctor privatus erravit. Id quod cum eruditissimo Harduino contra Launojum, Calmetum, Tournelium, & præsertim Alexandrum Natalem Tom. 6. in Synops. Sæc. 9. c. 1. a. 9. propugnamus.

DECLARATIO I. *Argument. I.* Interrogatus a Bogare Bulgarorum Rege Nicolaus, quo loco Baptismus a Judæo, aut pagano collatus exponendus esset? in hunc modum respondit: *hi profecto, si in nomine Ss. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legitur, baptizati sunt* (*unum quippe idemque est, ut S. exponit Ambrosius*) *constat eos non esse denuo baptizandos.* Hinc conjiciunt Adversarii probatum ex mente Nicolai Baptismum *solius*

*Christi nomine* collatum etiam citra invocationem cæterarum Personarum. Quod particulæ illæ *vel tantum* exceptivum & adversarium sensum efficere videantur. At manifesto hic decipiuntur Adversarii. Si enim Nicolaus exceptivum, & adversarium sensum describere in animo habuit, qua tandem ratione ipse affirmare potuit, unum eundemque esse Baptismum Trinitatis & *tantum in Christi nomine?* hæc certe pugnantia sunt. Quare particulis illis, ex quibus calumnia omnis struitur, non contendit Nicolaus sensum adversativum efficere, qui concordiam potius, & unitatem Baptismi *Trinitatis*, & *Christi* exposuit, & testatam fecit. Si autem quæratur, cur nihilominus particulam *tantum* addiderit, responsum in promptu est, addidisse illam non de suo, sed quia expressum eandem legerat Act. 8. v. 16. *baptizati tantum erant in nomine Jesu.* Ad quæ ipsa Apostolorum acta cum se referat Nicolaus, atque ipsum etiam appellet Ambrosium, cujus se vestigiis stare profitetur, mirum sane, Nicolao id crimini verti potuisse, quod in Ambrosio sine vitio esse plerique agnoscunt.

*Argument. II.* Pontifex nunquam approbavit Baptismum his verbis collatum, *baptizo in nomine Christi.* Igitur etiam illo suo responso ut Doctor privatus nunquam erravit. a. p. Pontifex per illa in suo rescripto allata verba: *hi profecto si in nomine Ss. Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt* &c. per hæc inquam verba non intellexit formam baptismalem, alias enim non solum hanc erronee asseruisset: *baptizo te in nomine Christi* esse validam, sed etiam istam: *baptizo te in nomine Ss. Trinitatis*, loquitur enim Pontifex æqualiter de nomine Ss. Trinitatis, & de nomine Christi. Porro hanc formam validam esse: *baptizo te in nomine Ss. Trinitatis* nemo Theologorum excepto fere uno Maldonato admittit, atqui nec Pontificem hanc formam approbasse, dicet Natalis, aut qui eum præcessere, aut modo sequuntur, ergo nec priorem. Id quod magis roboratur. Pontifex sequentibus verbis ex Augustino docet: *Baptismum qui verbis consecratur Evangelicis non corrumpi per errorem in fide, aut improbitatem sive dantis sive accipientis*: ergo formam Baptismatis non agnovit aliam, quam verbis *evangelicis* constantem: atqui forma verbis constans *evangelicis* neque est ista: *baptizo te in nomine Christi*, neque illa: *baptizo te in nomine Ss. Trinitatis*, ergo Pontifex præcedentibus verbis non exponit formam baptismalem. Huc sane pertinet, quod Zacharias Pontifex de antecessore suo Gregorio III. epist. 1. ad Bonif. scriptum reliquit, & pro defensione ejusdem Gregorii, qui author dispensationis cujusdam contra jus divinum ab aliquibus allegabatur, ab Alexandro Natali Tom. 11. in Synops. Sæc. VIII. c. 1. 2. 5. adducitur: *ab Apostolica sede illa non designantur, quæ contraria esse Patrum sive Canonum institutis perhibentur.*

*Argu-*

*Argument. III.* Alexander Natal. Stephanum IV. Pontificem (quem Anastasius Bibliothecarius insimulat, quasi ordinationes ab Antipapa Constantino celebratas iterandas decrevisset) his mediis vindicat: multo verisimilius est, Stephanum IV. & Episcopos, qui in Romana Synodo cum ipso sederunt non ita fuisse Traditionis nescios, ut ordinatos a *Constantino*, qui vere etsi non legitime & canonice consecratus erat Episcopus, iterum ordinandos censerent: ut enim alia omittam, non ignorabant celebre illud Gregor. M. responsum Q. 2. Epist. 32. . . . non ignorabant Decretum Concilii Capuani, quo Bonosi Hæretici ordinationes probatæ sunt, nec Synodi Carthaginensis III. Sanctionem, qua Conc. Cap. sententia confirmata est . . . non est igitur existimandum eruditum Pontificem, cæterosque Præsules præcipue Gallicanos, qui sacra eruditione erant conspicui, a Traditione defecisse. Ita pro sua eximia in criticis eruditione Alexander. Atqui etiam multo verisimilius est Nicolaum I. non ita fuisse Traditionis & doctrinæ sedis Apostolicæ nescium, ut Baptismum sub hac forma collatum: *baptizo te in nomine Christi* censeret validum, & minime iterandum, ut enim alia omittamus, non ignorabat suorum Decreta Decessorum Pelagii & Zachariæ. Ille Sæc. VI. in rescript. ad Gaudent. Ep. hæc habet: *si hi, qui in locis Dilectioni tuæ vicinis commorari dicuntur, se solummodo in nomine Domini baptizatos fuisse confitentur, sine cujuscunque dubitationis ambiguo eos ad Catholicam fidem venientes in Ss. Trinitatis nomine baptizabis.* Hic Sæc. VIII. approbat Anglicanæ seu Cloveshoviensis Synodi Decretum dicens: *si lotus in fonte Baptismatis quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filii & Spiritus S. fuerit baptizatus.* Prius refertur can. 30. D. 4. de consec. posterius ibidem can. 83. non ignorabat uberrima pro Traditione Ecclesiæ de dogmate formæ baptismalis PP. testimonia, utpote in quo plenissima erat Conciliorum Generalium Decretorum Pontificiorum, Patrum, totiusque Dogmatices notitia, quam colligere fas est ex 70. & ultra epistolis, quas idem Pontifex ad Imperatores, Reges & Episcopos aliosque dedit, in Historia Ecclesiastica Decessoribus suis Leoni M. & Gregorio M. æquiparandus. Non est igitur existimandum, eruditissimum Pontificem a Traditione PP. suarumque Decessorum Decretis defecisse, & sanxisse Baptismum esse validum in solo Christi nomine collatum. Unde Epiphonematis in vicem hic serviat, quod S. P. Irenæus L. 3. adversus Hæres. advertit: *Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest perspicere omnibus, qui vera velint videre, & habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & Successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his declaratur.*

§. XV.

## §. XV. Effectus & Necessitas Baptismi.

**Baptismus ultra characterem adfert sanctitatem, remissionem culparum omnium, ac totius pœnæ Deo debitæ. Inserit præterea Christo & Ecclesiæ, & aperit regni cœlestis aditum.**

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Virtute Baptismi hominem sanctificante ac justificante gratia donari tradit Apost. 1. ad Cor. 6. dicens: *sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine D. N. J. C. & in Spiritu Dei nostri.* Eadem virtute culpam etiam omnem tam originalem quam actualem remitti ex illo vulgatissimo Petri ad Judæos edicto Act. 2. monstratur: *baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Et Ananiæ ad Saulum Act. 22. *baptizare, & ablue peccata tua.*

II. *Universalit. PP.* Eandem universalem abolitionem delictorum consignarunt etiam non pauci PP. Tertull. L. de Bapt. c. 7. *Baptismi carnalis est actus, quod in aqua mergimur, spiritualis effectus, quod delictis liberamur.* Orig. Hom. 4. in Cant. *amputantur & exsecantur ab hominibus peccata, cum in Baptismo datur remissio peccatorum.* Præter culpam pœnam quoque omnem peccatis respondentem, non æternam modo sed & temporariam futuræ vitæ relaxari persuadet præfat. Tertull. c. 5. dicens: *exempto reatu, eximitur & pœna.* Clem. Alexandr. L. 1. Pædag. c. 6. *vocatur hoc opus gratia, illuminatio, perfectum & lavacrum; lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus; gratia autem, quia remittuntur pœnæ, quæ peccatis debentur.*

CONSECT. MORAL. I. Ex effectibus Baptismi æstimanda est ejus necessitas. Exinde inferimus, Baptismum aquæ re ipsa sumptum regulariter omnibus tam infantibus, quam adultis necessarium esse necessitate medii ad salutem. Certe summa hæc gravissimaque necessitas asserta est ab ipso Christo Joan. 3. *nisi quis renatus fuerit.* Unde Syn. II. Milev. c. 2. anathema dicit Pelagianis, *quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negaverint.* Calvinus equidem æqualibus verbis conceptam duplicem nobis legem opponit Luc. 13. *nisi pœnitentiam egeritis.* Et Joan. 6. *nisi manducaveritis.* Et disparitas sumitur ex perpetua Ecclesiæ praxi, intellectu, ac expositione locorum S. Scripturæ.

II. Quanquam vero res parvulorum ita comparatæ sint, adultorum tamen alia est *conditio*, in his enim cum occasio & modus aliter non suppetit, voto cujusque proprio, in perfecta charitate fundato aquæ Baptismus suppleri potest. Est hæc doctrina catholica contra rigidissimos aquæ Baptismi defensores, ipsumque adeo Bajum, quem Pontifices propterea confixerunt.

III. Id

III. Id vero ſpeciale privilegium Martyrio ſive ſanguinis Baptiſmo competit, ut ſuppleat aquæ Baptiſmum in adultis æque ac parvulis Salvatore Math. 10. dilucide aſſecurante: *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.*

IV. Sententia autem illa nova, quæ præter Baptiſmum aliud pro parvulis periclitantibus remedium ſtatuit, S. Scripturæ adverſatur. Priſcis Eccleſiæ Doctoribus avitæ Traditionis teſtibus palam repugnat. Conciliorum ac totius Eccleſiæ ſenſum inſuper habet. Nullis aut non niſi inanibus fundamentis nititur. Unde & merito eandem nuper Glorioſiſſimus Pontifex Benedictus XIV. proſcripſit. Id quod non minus ſolide, quam doctiſſime Cl. P. Joſephus Reindl in Princ. ac immed. Eccleſ. ad S. Emeramum Ratisbonæ Profeſſus & Ss. Theologiæ Profeſſor Cel. biennio abhinc publica Diſſertatione demonſtravit.

V. Supereſt non ignobilis controverſia de Martyrio illorum, qui charitate prorſus heroica, tabeſcentium ex peſte obſequiis arduis ſe mancipant, atque tracta inde lue, victimæ charitatis occumbunt. Hos in cenſum verorum Martyrum inferre elaboravit magnis ſtudiis Vir Eximius Theophilus Raynaudus S. J. emiſſo in lucem opuſculo *de Martyrio per peſtem.* Nos tametſi piiſſimum hoc mortis genus, ad gloriam Martyrii proxime accedere putemus, malumus tamen laud. Benedicti XIV. ſententiæ ſubſcribere, atque nobiliſſimis iſtis athletis potius ſpeciem, ac imaginem quamdam Martyrii, quam Martyrium ipſum, atque ejus aureolam deferre.

## §. XVI. Miniſter Baptiſmi.

Solennis Baptiſmi Miniſter ordinarius, & ex officio præter Epiſcopum eſt etiam Sacerdos. Diaconus vero extraordinarius & delegatus. Neceſſitatis autem Miniſtri ſunt Laici omnes Viri & mulieres, peccatores, ſchiſmatici, hæretici, Judæi atque Pagani.

DECLARATIO P. I. *Conſenſ. Script. & Trad.* Et reſidere quidem in Epiſcopo, velut in capite jus ordinarium baptizandi ritu ſolenni dogma eſt. Cui enim alteri quam Apoſtolis, atque horum ſucceſſoribus Epiſcopis, non dico poteſtas eſt facta, ſed neceſſitas injecta baptizandi? Math. 28. *euntes docete baptizantes?* quos alios Apoſt. 1. Cor. 4. diſpenſatores myſteriorum Dei pronuntiat? & quis alius miniſtravit Baptiſmum, quam Apoſtoli & diſcipuli Chriſti? nonne a Petro Act. 2. terna hominum millia, a Paulo Criſpum, Cajum, domumque Stephanæ 1. Cor. 1. Lydiam & Præfectum Philippenſis carceris Act. 16. baptizatos tenemus? atque ſi quan-



do

do factum est, ut alii functionem baptismalem in se susceperint, quidquid id erat, ex Episcoporum venia dimanavit. Id quod disertis verbis perhibet S. Ignatius M. Epist. ad Smirnenses: *non est licitum sine Episcopo neque baptizare, aut agapes facere.* Ut ut autem hæc ita se habeant, negari nequit Presbyteros etiam veteri instituto aliquando baptizasse ex concessione Episcoporum. In quam rem Innocent. I. Epist. ad Decent. c. 3. asserit *Presbyteros seu extra Episcopum, seu præsente Episcopo baptizare.* Imo & Diaconis hanc provinciam interdum demandatam esse in confesso est. Quid erat Philippus, nisi Diaconus, quem ex Act. 8. novimus sacris undis lustrasse Samaritanos, & Eunuchum Reginæ Candacis? Illud tamen inter Presbyteros Diaconosque discrimen intercessit, quod illi potestate ordinaria, hi delegata duntaxat baptizandi officio fungantur, verosimilior tradit sententia.

P. II. *Antiquit. PP.* Necessitatis autem Ministri sunt Laici omnes. Præit in hanc doctrinam Tertullianus L. de Bapt. c. 17. dicens: *alioquin etiam Laicis jus est . . . proinde Baptismus æque Dei census ab omnibus exerceri potest.* Quod jus ut ad solum necessitatis casum pertinere scias, continenter monet: *sufficiat in necessitatibus, ut utaris, sicubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit.*

Consect. Hist. I. Qui se apertæ veritati opponunt Calvinus, Gerardus, aliique negant præter Apostolos cuiquam baptizandi potestatem a Christo factam; his namque solis dictum est Math. 28. *Euntes docete baptizantes.*

II. Equidem solis Apostolis demandavit potestatem baptizandi ritu scilicet solenni, & ex officio; cum quo probe constat, ut alias necessitatis Ministros adlegerit; certe & videtur hoc poscere summa, quæ est Baptismi necessitas, & Traditio, ipsaque Scripturæ exempla. Non erat Philippus, nisi Diaconus cum baptizaret Act. 8. & Ananiam cum Act. 9. Paulo dedit Baptismum Laicum fuisse verisimilior tradit sententia: primo enim a Christi Resurrectione anno, quo Saulus baptizatus est, nemo præter septem Diaconos Sacris initiatus legitur. Denique Apostoli, quanquam nondum Sacerdotio insignes, Christi Baptismum ministrarunt.

## §. XVII. Subjectum Baptismi.

**Valet & cum fructu adhibetur Baptismus infantibus, estque a primordiis Ecclesiæ citra dilationem usurpatus. Contra Waldenses, Apostolicos, Petrobusianos, Henricianos & Anabaptistas.**

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Christus pueros capaces regni cœlorum edixit Luc. 18. v. 16. at si Baptismo non sint idonei, ejusque fructus parti-

participes possunt evadere, capaces regni cœlorum non sunt, si manet inconcussum, ut manere debet, alterum Christi effatum: *nisi quis renatus fuerit*. Huc etiam facit disciplina & exemplum Apostolorum, quos verisimile est, parvulos quoque nullo ætatis discrimine & nulla interjecta mora sacro fonte una cum adultis expiasse. Act. 16. v. 15. Ubi universa familia Lydiæ purpurariæ, & v. 33. ubi *omnis domus* Præfecti carceris; & denique domus Stephanæ 2. Cor. 16. baptizata narratur. Quis enim ex familiæ numero, ex domo omni exclusos putet cujuscunque ætatis parvulos?

II. *Antiquit. Trad.* Anabaptistis quidem effugia non desunt, quibus Lutherani nobiscum in præsenti sentientes, cum Traditionis authoritatem rejiciant, sufficienter occurrere nequeunt. Queis premuntur adeo, ut dogma, quod tuentur, sine verbi traditi præsidio sustinere nequeant. Hæc autem nobis invicte suffragatur. Cumprimis Irenæus L. 2. c. 39. per Christum dixit *renasci in Deum infantes, & parvulos, & pueros, & juvenes, & seniores*. Et Orig. in c. 6. ad Rom. *Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit etiam parvulis dare Baptismum*. August. Serm. 9. de verb. Apostoli: consuetudinem baptizandi parvulos *antiquam fidei regulam* nuncupat. Fuitque ea Traditio tam explorata omnibus, ut ne Pelagiani quidem in controversiam vocarint. Confer. Aug. L. 1. de pecc. mer. c. 36. e Conciliis complura hanc doctrinam peculiari Decreto firmarunt. Carthag. A. 253. sub S. Cypriano celebratum. Milevit. A. 416. can. 2. Gerundense A. 517. can. 5.

Consect. Scholast. Moral. I. De fidelium prolibus sermo adhuc processit. De infidelium autem civiliter Subditorum infantibus statuimus cum Sub. Doctore, eos publica authoritate Principis vel Civitatis licite posse baptizari invitis etiam parentibus. Nec enim, quod Adversarii continuo timent, ulla fieret injuria parentibus contra jus naturale & potestatem paternam, utpote circa quod nihil ejusmodi habent: neque Baptismus ille conferri non potest sine periculo frustrationis, si nimirum cautelæ, quas laud. Scotus provide expressit, observentur.

II. De infantibus aut aliqua, aut nulla sui parte utero materno egressis gravis adhuc DD. controversia viget. Nos hic rursus præeuntem Ducem Benedictum XIV. sequimur, atque adeo ponimus: probabile est, infantes, nondum ulla sui parte ex utero matris egressos valide baptizari initio puerperii, cum ostium uteri materni aperitur. Enim vero infantes hoc statu tum ablui possunt, tum etiam capaces sunt Baptismi a Christo instituti, seu lavacri regenerationis Spiritualis, cur igitur valide baptizari non possint?

III. Baptismi autem Candidati, qui instructione prævia ad hoc Sacramentum comparantur, hodie universim *Catechumeni* vocantur. Ac horum quidem in veteri Ecclesia diversi erant

gradus. Primus erat *audientium*, alter *competentium*, tertius *electorum*. Hodie jam Catechumenatus nullum certum tempus est; definire illud ad Pastores pertinet, quorum sapienti arbitrio Ecclesia id reliquit.



# DISQUISITIO III.
## DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

### *UNIVERSALITAS, ANTIQUITAS, CONSENSIO, CONCILIORUM.*

Ex C. Andegavensi A. 453. c. 12. Pœnitentia omnibus pateat.

Ex C. Cabilonensi I. A. 650. c. 8. ut pœnitentibus a Sacerdotibus facta Confessione indicatur Pœnitentia.

Ex C. Calchutensi A. 787. c. 20. fiat conversio, & confessio, & secundum Sacerdotum judicium Eucharistia sumatur.

Ex C. Cabilon. II. A. 813. c. 32. instruendos esse homines, ut peccata sua Sacerdoti plene confiteantur.

Ex C. Ænhamensi A. 1009. c. 20. unusquisque frequenter adeat confessionem, & posito pudore peccata sua confiteatur.

Ex C. London. A. 1268. Absolutio confitentis facienda his verbis: *Ego te absolvo a peccatis tuis.*

Ex C. Florent. Dec. *Exultate.* Pœnitentiæ materia sunt actus pœnitentis; forma verba absolutionis. Minister, Sacerdos. Effectus, liberatio a peccatis. Cætera.

Ex C. Trid. Sess. XIV. Pœnitentia est vere & proprie Sacramentum. Distinctum a Baptismo. Ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiruntur tres actus in pœnitente, quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ. Confessio Sacramentalis vel instituta, vel ad salutem necessaria est jure divino. Cætera.

*Prop. damn. ab Alexand. VII.* Prop. XI. Peccata in Confessione omissa, seu ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

XIII. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

XIV. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

XV. Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

*Ab Innoc. XI.* Prop. LVII. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

LVIII. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

LIX. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magno alicujus festivitatis aut indulgentiæ.

LX. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

LXI. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest & non vult omittere; quin imo directe & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

LXIV. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat

nesciat mysterium SS. Trinitatis & Incarnationis D. N. J. C.

*Ab Alexand. VIII.* Prop. IX. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

X. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gratiam, non est recta, nec Deo placens.

XIV. Timor gehennæ non est supernaturalis.

XV. Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

XVI. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.

XVII. Per illam praxin more absolvendi, ordo Pœnitentiæ est inversus.

## §. XVIII. Pœnitentia ut est Virtus.

*Pœnitere* si verbi originem spectemus, idem est, ac *pœnam tenere. A punitione*, inquit S. Isidorus Hispalensis L. 6. orig. *Pœnitentia nomen accepit, quasi punitenentia, aut pœnitentia, per quam scilicet homo pœnitendo punit, quod male admisit peccando.* Si autem rem attendamus, non solum est nova vita sive resipiscentia, sed etiam vitæ veteris odium cum voluntate Satisfaciendi conjunctum essentialiter importat.

DECLARATIO I. *Universalit. Script.* Pœnitentibus a Deo non sola resipiscentia, sed vitæ etiam anteactæ odium cum sincera satisfaciendi voluntate conjunctum ubique præscribitur. Quid enim est *reprehendere se ipsum, agere in cinere & favilla Pœnitentiam, cor conterere & humiliare, recogitare omnes annos suos in amaritudine animæ suæ, sacco vestiri, carnem macerare jejunio, uberesque lacbrymas fundere*, nisi vitam præteritam detestari, & Deo offenso, quem nemo unquam impune derisit, pro modulo satisfacere? & nunquid hæc omnia in Ninivitis, Davide & muliere peccatrice observata videmus?

II. *Consens. PP. Pœnitentia* ait Greg. Nazian. orat. 39. *est Baptismus lachrymarum, Baptismus laboriosus.* S. Ambros. in Conc. 1. in Ps. 27. *plena est definitio Pœnitentiæ commemoratio delictorum, ut unusquisque peccata sua velut quodam quotidiani sermonis flagello castiget & commissa flagitia condemnet.* Quin Ethnicis etiam melior quam Luthero sententia fuit. Sic Ovidius Lib. 1. de Ponto. Eleg. 1.

*Pœnitet: ah! si quid miserorum creditur ulli.*
*Pœnitet & facto torqueor ipse meo.*

Similique sensu Ausonius Pœnitentiam quasi Deam quamdam ingeminantem inducit:

*Sum Dea quæ facti, non factique exigo pœnas:*
*Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.*



CON-

Consect. Scholast. Mor. I. Cum habitus Pœnitentiæ inclinet ad detestationem peccati, emendationem & satisfactionem, dubitari nequit, Pœnitentiam esse virtutem proprie talem, & quidem specialem ab aliis distinctam, quæ tanquam objectum formale ac specificativum respiciat ipsum peccatum ut *vindicandum.*

II. Eadem vero etiam *virtus generalis* dici potest, quatenus ad actus detestationis, emendationis & satisfactionis etiam inclinare possit ex motivo cujuslibet virtutis e. g. *charitatis, spei* &c. atque sic pertinere ad quamlibet virtutem.

III. Unde & Pœnitentia etiam illa, quam in nobis excitat timor gehennæ ac turpitudo peccati procul dubio inter veras est connumeranda virtutes. Ii enim etiam, qui virtutem in genere *per ordinem amoris* explicare nituntur, negare nequeunt veras propriasque virtutes a charitate distinctas. Nunquid enim admittere tenentur veram etiam ac supernaturalem fidem remanere in homine impio? nunquid timorem servilem esse bonum ac supernaturalem, atque inter dona Dei adnumerandum, neque in eo inveniri aliquid vitii, quod eidem timori sit adscribendum, contra Novatores tueri debent?

IV. Nempe Pœnitentia quatenus proficiscitur ex timore, aut ex ratione alia supernaturali vindicativa peccati ad rationem ipsam hanc redigitur, constituitque *specialem* virtutem, quatenus oritur ex Dei amore, & detestatur peccatum huic amori contrarium, attinet ad *charitatem*, ab illa elicitur, emanatque.

## §. XIX. Efficacia Pœnitentiæ circa Remissionem peccatorum mortalium.

Nullum est peccatum tam grave, quod per Pœnitentiam perfectam non possit deleri contra Novatianos.

DECLARATIO I. *Universalit. Script.* In Scriptura absque limitatione promittitur vere contritis ac pœnitentibus *remissio omnium peccatorum.* Sic Sap. 11. *Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter Pœnitentiam.* Ezech. c. 18. *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.*

II. *Consens. Concil. & PP.* Lateranense sub Innocentio III. quod refertur c. *firmiter* de summa Trinit. dicit: *Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper Pœnitentiam reparari.* S. Chrysost. Hom. 33. in Math. *Non est aliquod peccatum, quod non cedat virtuti Pœnitentiæ.* S. Ambros. Lib. 2. de Pœn. c. 5. *Tanta est*, inquit, *Dei erga homines propitiatio, ut Judas non excludi potuisset a venia, si Pœnitentiam non apud Judæos egisset, sed apud Christum.*

Con-

CONSECT. MORAL. I. Homini habenti peccatum mortale, ut possit recipere gratiam remissionis, Pœnitentia est simpliciter necessaria necessitate medii. Quid clarius in literis divinis? *Si Pænitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & in manus hominum.* Ezech. 3. *Si Pænitentiam non egeritis, omnes simul peribitis.* Luc. 13.

II. Et regulariter quidem ista Pœnitentia debet esse formalis & explicita, sufficit tamen aliquando etiam virtualis. Numquid enim Magdalenæ remittuntur peccata multa, quia dilexit multum?

## §. XX. Efficacia Pœnitentiæ quoad reatum pœnæ.

Dimisso per Pœnitentiam reatu culpæ peccati tam mortalis, quam venialis remanet in pœnitente sæpenumero reatus pœnæ temporalis, hic in via, sive in Purgatorio solvendæ.

DECLARATIO I. *Consens. Script.* Exod. 32. Israëlitis in adorationem vituli aurei lapsis Deus peccatum ad preces Moysis remittit: dicitur enim *placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum suum.* Nihilominus ibidem innuitur Deum reservasse pœnam infligendam isti populo propter illam noxam: subditur enim: *in die ultionis visitabo, & ob peccatum eorum: percussit ergo populum Dominus pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* Patet eadem veritas Num. 13. & 14. in Israëlitis in peccatum murmuris lapsis. Denique ex 2. Regum c. 12. in Davide post remissum adulterii & homicidii peccatum adhuc temporalem criminum pœnam luente.

II. *Consens. PP.* Qui, cum veritatis hujus ex sola Dei ordinatione pendentis nulla ratio a priori dari possit, varias tamen congruentias hujus ordinationis divinæ proferunt. 1mo Ut peccati gravitas magis innotesceret & ab offensa timore pœnæ intuendæ peccator removeretur. Confer. S. Aug. Tract. 124. in Joan. 2do Ut debitam Deo satisfactionem peccator solveret, intelligeretque, quam benigna fuisset Dei misericordia pœnam æternam condonando. Idem Aug. Lib. 22. contra Faust. c. 67. 3tio Ad frœnandam peccati licentiam, quæ certe longe major esset, una si cum culpa omnis pœna relaxaretur. S. Chrysost. Homil. de Pœnitentia. Has aliasque rationes diserte exponit Trid. sess. 14. cap. 8. Unde

CONSECT. DOGMAT. I. Calvinus in vanum profert varia Scripturæ testimonia, quibus Deus dicitur nullam amplius habere rationem peccatorum semel dimissorum, illaque projicere post tergum. Enimvero his aut similibus oraculis nihil aliud significat Deus, quam quod ita ad intuitum Pœniten-

nitentiæ peccata dimittat, ut illa amplius non revocet in conspectum, & memoriam ad damnationem peccatoris, nec non ad reatum culpæ & pœnæ æternæ: quod ultra & nos fatemur. Et

II. Christus equidem satisfecit pro nobis, ut causa universalis applicanda singulis per propriam cooperationem, & juxta mensuram illius cooperationis, maxime in Pœnitentia: modus autem proportionatus liberæ naturæ est, ut sicut libere & propria voluntate deliquit peccando actualiter; ita libere sibi applicet causam satisfactionis, & remissionis peccati.

## §. XXI. Pœnitentia ut est Sacramentum.

Datur in Ecclesia verum Novæ Legis Pœnitentiæ Sacramentum a Christo institutum. Contra Novatianum, Lutherum modo negantem, modo affirmantem, Zwinglium & Calvinum.

DECLARATIO I. *Univers. Script.* Christus Math. c. 16. ad Petrum ait: *tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris supper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cælis.* Quæ prærogativa tametsi competat peculiari titulo supremo Ecclesiæ Rectori ob jurisdictionis plenissimam amplitudinem, collata tamen etiam est cæteris Apostolis ibidem c. 18. v. 18. dum ait Christus: *amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Multoque expressius in Evangelio Joannis c. 20. v. 21. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos: hæc cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt eis.* Ex queis ita arguitur: ad rationem Sacramenti Hæreticis etiam non dissentientibus requiritur 1mo signum seu ritus externus. 2do Institutio divina. 3tio Promissio gratiæ illi signo affixa. Atqui, ergo.

II. *Antiquit. Præscript.* Pœnitentiam esse Sacramentum præjudicata res est a tempore Apostolorum, atque ab ipso Apostolorum Magistro accepta, id quod elucescit 1mo ex unanimi Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis consensione, ita ut Concil. Constantinopol. an. 1638. contra Cyrillum Lucar Constantinopolitanæ Ecclesiæ Pseudo-Patriarcham celebratum merito statuerit: *anathema Cyrillo nova dogmata fabricanti, & credenti, non esse ex institutione Jesu Christi, Apostolorum traditione, praxique perpetua, septem Ecclesiæ Sacramenta, Baptisma videlicet, Chrisma, Pœnitentiam, Eucharistiam,* &c. 2do Ex antiquissimis Orientalium & Occidentalium Ritualibus, in quibus omnia præscribuntur, quæ ad Pœnitentiæ ministerium

rium pertinent. 3tio Ex antiquis loquendi formulis de canonibus pœnitentialibus, de absolutione Sacerdotali, de satisfactione, ex plebejorum querelis, quas Victor Uticensis in Historia persecutionis Vandalicæ Lib. 2. memorat: *quibus nos miseros relinquitis, dum pergitis ad coronas, qui hos baptizaturi sunt parvulos fontibus aquæ perennis? qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia, obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est: quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cœlis.* 4to Quia nullus assignari potest, qui primus hoc Sacramentum induxerit, quin Patres antiquissimæ ætatis illud agnoverunt, & commendarunt.

III. *Consens. Trad. perpet. PP.* Tertull. de Pœnit. c. 7. Sermonem instituens de peccatis post Baptismum patratis ait: *hæc igitur venena prævidens Deus collocavit in vestibulo Pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.* Origenes Hom. 2. in Levit. *Non erubescit peccator Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam.* S. Cyprian. Tract. de lapsis c. 12. ait: *Confiteantur singuli, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Deum valet.*

Consect. Dogmat. Histor. I. Sacramentum autem Pœnitentiæ a Baptismo & ejus memoria omnino est diversum. An non enim Christus ipse distinctum dedit mandatum Baptismi & Pœnitentiæ? & Petrus Act. 8. Simoni Mago ad obtinendam peccati veniam non commendat memoriam Baptismi, sed monet nominatim: *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua.*

II. Aliud est Pœnitentiam, aliud Sacramentum Pœnitentiæ prædicare. Aliud insuper Sacramentum Pœnitentiæ promittere, aliud instituere. Pœnitentiæ equidem Christus statim ac visibile ministerium obire cœpit, præco fuit, nec tamen hinc sequitur Sacramentum Pœnitentiæ jam tum ab eo fuisse institutum. Præterea institutionem Sacramenti Pœnitentiæ promisit antequam pateretur Math. 16. & 18.

III. Hanc ipsam tamen institutionem non nisi a mortuis resurgens Joan. 20. perfecit, cum tunc completam absolvendi potestatem contulerit. Cum enim Christi Resurrectio sit exemplar nostræ justificationis, qua a peccato resurgimus juxta illud Apost. ad Rom. 4. *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*, congruum erat, ut exemplar præcederet imaginem: ut quemadmodum Christus resurgens jam non moritur; sic qui a peccato, quo mortuus fuerat, resurgit, haud amplius moriatur.

## §. XXII. Materia Sacramenti Pœnitentiæ.

*Nec terrores conscientiæ, & fides* seu fiducia remissionis factæ peccatorum in sensu Lutheri, *nec mortificatio vitiorum*, & studium bene viven-

vivendi ad mentem Calvini sunt materia, seu partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ. Sed perficitur illud peccatoris contritione, confessione, & satisfactione tanquam materia proxima: Sacerdotis autem absolutione tanquam Forma.

DECLARATIO I. *Consens. Script.* In iis actibus Sacramenti hujus materia ex Christi institutione est ponenda, qui ad integritatem judicii Sacramentalis requiruntur: in hoc vero quis nesciat? præter sententiam judicis, adesse oportere notitiam delicti, & pro eodem satisfactionem, ut reus absolvatur. Contritio autem (contra quam in judicio humano) præterea nominatim est necessaria: quia ex moderna Dei ordinatione non fit unquam peccati remissio sine prævia ejus retractatione. Unde Conc. Trid. Sess. 14. c. 3. apprime definit pœnitentis *contritionem, confessionem, & satisfactionem esse instar materiæ.* Absolutionem vero Sacerdotis instar formæ, in qua *præcipua hujus Sacramenti vis sita sit*, quia hæc determinat actus pœnitentis ad rationem Sacramenti.

II. *Consens. PP.* S. Joannes Chrysost. Hom. de Pœnit. *perfecta Pœnitentia cogit pœnitentem omnia libenter ferre: in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere toto humilitas: in quibus modis Deum offendimus, corde, ore, opere, iisdem reconciliemur Deo: corde quidem per contritionem, ore per confessionem, opere per satisfactionem.* Eodem sensu S. Augustinus explicans hæc verba Psal. 146. v. 3. qui sanat contritos corde: *sanat*, inquit, *contritos corde, sanat confitentes, sanat se ipsos punientes.* Ex queis utique perspicuum est, quam longissime a vero exorbitent *terrores* Lutheri, & *refrænatio passionum* Calvini; illi quidem quod motus sint mere naturales pueris etiam & bestiis communes. Hi quia Sacramentum sequuntur, & justorum potius sint quam pœnitentium.

CONSECT. SCHOL. MORAL. I. Cum actus pœnitentis requirantur instar materiæ proximæ: ultro consequitur, ejusdem Sacramenti materiam remotam esse peccata ab homine baptizato commissa: hæc quippe sunt id, circa quod prædicti actus versantur. Dictum est autem post Baptismum commissa: sicut enim necdum baptizati Ecclesiæ jurisdictioni non subduntur, ita nec eorum peccata tam originalia, quam actualia. Unde Paulus 1. Corinth. 8. *quid mihi*, inquit, *de iis, qui foris sunt judicare?* & ideo docet Trid. Sess. 14. c. 1. institutum esse *hoc Sacramentum ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos.*

II. Inter ipsa interim peccata post Baptismum admissa discrimen ponimus. Et peccata quidem mortalia nondum per absolutionem Sacramentalem directe remissa, sunt materia necessaria hujus Sacramenti. Venialia autem, & mortalia directe absoluta,

luta, sunt materia duntaxat libera. Utrumque ex Trid. Sess. 14. c. 5. deducitur.

III. Tres autem pœnitentis actus non æquali veniunt in Sacramento gradu necessitatis. Contritio sic necessaria est, ut sine illa stare Pœnitentiæ Sacramentum penitus impossibile sit. *Nemo enim est venia dignus, nisi vere ad Deum conversus.* Confessio, si quis casu quolibet linguam habeat impeditam, vel signis ac nutibus, vel vitæ bene actæ testimonio, vel ut plurimis quidem placet, ejusdem saltem præsumptione suppletur. Satisfactio denique omitti ex integro potest, ejusque sufficit formale aut virtuale propositum, si pœnitens in ipso mortis articulo absolutione donetur.

IV. In his integra Orthodoxorum consensio est, sed an actus pœnitentis partes essentiales Sacramenti, an duntaxat integrales dicendi sint, in hoc Scholarum contentio est, nec sine æstu agitata. Si quid & nobis pronuntiandum sit, statuimus Sacramentum Pœnitentiæ physice sumptum pro aggregato ex rebus & verbis importare principaliter, & in recto absolutionem (in qua *præcipue Sacramenti ipsius vim sitam esse* Tridentinum pronuntiavit.) minus principaliter vero, & in obliquo actus pœnitentis.

V. Non possumus tamen non vehementer judicium hac de re a Cl. P. Dupasquierio nostro latum approbare. *Ni fallor lis ista plus est de vocibus magis, quam de re, ad quam nihil refert quænam dicantur essentiales, quæve integrantes: quænam importentur in recto, vel in obliquo: modo omnes & singulæ necessariæ sint ad existentiam Sacramenti, de quo omnes concordant.*

## §. XXIII. Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Ecclesia potestatem Clavium in Pœnitentiæ Sacramento exercendam a Christo ea prærogativa accepit, ut ipsa Sacramentali absolutione vera peccatorum remissio obtineatur. Unde potestatem remittendi peccata cum prædicandi potestate confundentes Novatores perperam docent: *Clavium potestatem Ecclesiæ concessam consistere in nuda & mere concionali declaratione, qua Minister Ecclesiæ præconis instar annuntiet pœnitenti, peccata ejus per fidem, qua sibi ea remitti credit, esse remissa.*

DECLARATIO I. *Universalit. Script.* Claves regni cœlorum Christo ab æterno Patre traditas inde patet, quod omnis illi potestas in cœlo & in terra, omneque judicium datum fuerit. Atqui easdem regni cœlestis claves Christus hinc discedens Ecclesiæ in perpetuam hæreditatem reliquit, quan-

 do

do nimirum Petro dixit. Math. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Licet enim ad solum Petrum hæc verba direxerit, ad universam tamen Ecclesiam pertinebant: quando ei dictum est: tibi dabo claves regni cœlorum ait S. August. Tract. 24. in Joan. *universam significabat Ecclesiam.* De quo si quis dubitet, conferat verba Joannis 20. v. 21 ubi Christus eandem potestatem repetens *sicut misit me Pater*, ait toti Apostolorum collegio, *& ego mitto vos . . . accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis* &c. unde tria authoritate Scripturæ roborata consistunt, Deum potestate *propria*, Christum Deum hominem potestate *excellentiæ*, Ecclesiam potestate *ministerii* per suos Ministros peccata remittere: potestatem Dei *clavem supremi dominii*, potestatem Christi ut hominis, *clavem excellentiæ*, potestatem Ecclesiæ *clavem ministerii* Theologi appellant.

II. *Antiquit. PP.* §. XXI. *Adductorum.* Hi ipsi clavem ministerii aliam *ordinis*, aliam *jurisdictionis* distinguunt. Illa dicitur *potestas ligandi atque solvendi cum ordine sacerdotali collata, qua judex Ecclesiasticus dignos recipere, & indignos excludere debet a regno.* Hæc *authoritas in alterum tanquam in subditum data, per quam Sacerdos velut judex sententiam in eum rite proferre valeat, eumque ligare vel solvere.* Illam quisquis rite semel ordinatus inamissibiliter habet, quæ vel character ipse Ordinis est, vel individue cum illa conjuncta. Hac quisquis iterum privari potest, atque denuo in duplicem abit, alia ad *forum interius*, alia ad *forum exterius* pertinet. Quarum utraque vel *ordinaria* vel *delegata* aliquando vocatur.

Consect. Scholast. Hist. Moral. De Clavibus Ecclesiæ cum diximus, ad alios jam quæstiones pergimus, qua nimirum ratione, ac verborum formula potestas hæc absolvendi exerceatur. Ac

I. Quidem deducimus absolutionem Sacramentalem exprimi necessario debere verbis proprie talibus, ut adeo nutu duntaxat vel scripto data sit irrita. Sane Florent. speciatim de Sacramento Pœnitentiæ addit: *forma hujus Sacramenti sunt verba absolutionis.* Qualia autem illa? *quæ Sacerdos profert cum dicit: ego te absolvo.*

II. Verba indicativa ad formam hujus Sacramenti ita requirimus, ut saltem verisimilius sit, sine illis nec valuisse unquam, neque nunc in ulla Ecclesia valere Sacramentalem absolutionem. Unde vero id eruendum firmius? quam ex iis Tridentini locis, quibus ex professo agitur de forma absolutionis. Sane multo certius & sincerius inde petitur argumentum, quam ex ambiguis quibusdam PP. effatis, & incertis Historiæ ac veterum LL. Ritualium monumentis, queis gloriatur Morinus.

III. Ad valorem absolutionis Sacramentalis satis esse a Sacerdote proferri hæc, aut his æquivalentia verba: *absolvo te.* Reliqua autem, quæ ex more absolutioni Sacramentali adjicimus, ad ejus essentiam non pertinere,

§. XXIV.

## §. XXIV. Contritio.

Certa est contra Bajum Sententia, vi Contritionis perfectæ, extra ipsum Sacramentum, remitti peccata etiam gravia.

DECLARATIO I. *Universalit. Script. & PP*. Ezech. c. 18. *Si impius pœnitentiam egerit ab omnibus peccatis suis ... omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Et c. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit*. Psal. 5. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Unde S. Leo P. Epist. 84. *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam : cum conversus ingemueris, salvus eris*.

II. *Consens. Rationis Theolog*. Contritio perfecta ex charitate procedens in veteri Testamento semper justificationem pœnitentibus afferebat: ergo eandem etiam statim affert in novo, in quo Deo non minus grata est & accepta. Sane Trid. Sess. 14. cap. 4. expresse definit, contritionem charitate perfectam hominem *Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiat; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*. Inde contraria doctrina a Pio V. & Greg. XIII. damnata est in Baji Proposit. 31. 32. 66. & 68.

CONSECT. SCHOL. MORAL. Contritio autem certis conditionibus instructa sit oportet. Sunt vero illæ ex communione Theologorum sententia sequentes:

I. Verus & sincerus animi dolor, formalis, & expressus. Nimirum Trid. definit contritionem, quod sit *dolor ac detestatio de peccato commisso*.

II. Ut hic dolor sit re ipsa talis, ac etiam supernaturalis. Nam existimatus, etiamsi pœnitentem excuset a peccato, non tamen supplet defectum materiæ ad Sacramentum necessario requisitæ.

III. Oportet insuper dolorem esse universalem hoc sensu, ut se extendat ad omnia peccata vel formaliter vel virtualiter. Nam Ezech. 18. *convertimini & agite Pœnitentiam de omnibus iniquitatibus vestris*.

IV. Et licet ad contritionem non requiratur certa intensio, sed sufficiat substantia actus, in quocunque sit gradu, sit tamen summa, seu super omnia appretiative. Nempe quia *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua*. Matth. 22.

V. Quodsi vero contritio his conditionibus instructa sit, fieri nequit, ut eadem non conjungatur cum emendandæ vitæ proposito, eoque efficaci & universali, sine quo pariter valor hujus Sacramenti constare non potest. At num propositum hoc, perinde ac de dolore dictum est, *formale* esse oporteat? disputatur etiamnum inter eruditos. Nos quemadmodum cum Sub. Doct. contendimus, contritio-

nem perfectam non necessario & simpliciter includere Dei amorem formalem, a quo imperatur, sed sufficere quandoque amorem saltem virtualem in actu detestationis inclusum, ita pariformiter tanquam probabilius tenemus sufficere propositum *virtuale*, inclusum videlicet in efficaci peccatorum detestatione ac dolore. Sane hoc propositum virtuale sufficit ad explicandum Conc. Trid. indefinite requirens emendationis propositum, neque ullo argumento certo probari potest necessitas propositi formalis.

## §. XXV. Attritio.

Attritio, seu dolor ex metu gehennæ aut turpitudine peccati elicitus non tantum est bonus & utilis ad salutem, verum etiam excludit omnem peccandi voluntatem, omnemque ad peccatum affectum.

DECLARATIO I. P. *Conf. Script. & PP.* Scriptura pluribi timorem servilem commendat. Sic Prov. 1. *timor Domini principium sapientiæ.* & c. 15. *per timorem Domini declinat omnis a malo.* Quæ utique oracula Ss. PP. explicant de timore servili; is enim est, qui sapientiam inchoat: nam filialis illam perficit, & consummat. Unde Tertullianus Lib. de cult. fœm. *timor*, inquit, *fundamentum salutis est.* S. Clemens Alexand. timorem *fidei* dicit esse *coadjutorem.* S. Ambros. *clavum animæ fluctuantis.* S. Greg. M. *anchoram mentis.* Omnium præclarissime S. August. Enarrat. in Psal. 127. lib. 2. contra lit. Petiliani c. 83. & serm. 13. de verb. Apost. *fac vel timore pœnæ*, ait, *si nondum potes amore justitiæ.*

II. P. *Consens. Trid.* sess. 14. c. 4. declarantis, *contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tamen moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, & quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justitiam perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœniten[illegible]impetrandam disponit.* Ergo Concil. supponit dabilem esse metum gehennæ, sive amorem efficacem beatitudinis obtinendæ, qui excludat omnem peccandi voluntatem, omnemque ad malum affectum. Quin hunc actu datum eodem loco decernit, dum subjungit, *hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus Pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt.* Huc faciunt etiam Propositiones contra Lutherum, Bajum & Jansenium damnatæ.

CONSECT. MORAL. I. Duplex igitur attritionis generale motivum occurrit, nimirum *turpitudo peccati*, & *gehennæ ac pœnarum metus*, ad quæ cætera motiva revocantur. Quod si quis ita pœnam timeat, ut intentionem suam non ad Deum referat, non erit ideo timor pœnæ improbandus: hoc enim non timoris, sed timentis est vitium. *Cupiunt*, inquit S. August. de Civ. Dei L. 14. c. 8. *timent*, *lætantur boni & mali: sed illi bene, isti male, sicut hominibus seu recta, seu perversa voluntas est. Mala enim sunt ista, si malus est amor: bona, si bonus.*

II. Attritio & contritio, ut in aliquibus conveniunt, ita in aliquibus discrepant. 1^mo quidem quantum ad virtutem & effectum. 2^do *ratione principii.* Contritio elicitur a virtute Pœnitentiæ quatenus habet charitatem annexam, vel ab ea imperatur: attritio vero provenit a virtute Pœnitentiæ, prout habet annexam virtutem spei. 3^tio *ratione motivi:* contritio provenit ex amore amicitiæ, qua Deus diligitur propter se: attritio vero ex amore concupiscentiæ, qua Deus diligitur propter nos, & ut bonum nostrum.

III. Quid igitur prohibet amorem spei comparate ad amorem charitatis vocare *imperfectum* & *initialem*. Imperfectum quidem non absolute, sed comparative. Initialem quia ex mente Trid. ab ipso amore spei & timore gehennæ promovemur, & provocamur ad amorem charitatis.

## §. XXVI. Amor Initialis.

Ad fructum, & valorem Sacramenti Pœnitentiæ sufficit attritio sine aliquo initiali amore Dei super omnia, qui distinctus sit a spe veniæ obtinendæ.

DECLARATIO *Consens. Script. & Trad.* Mirum, quantos textuum catalogos, & rationum momenta opponant Zelosiores amoris Patroni. Nos rem universam paucis hisce constringimus. Scriptura & Patres non loquuntur ad propositum. Ratio nil probat. Conc. Tridentinum, quod hic potissimum facit, nobis certius favet. Ergo. Singula obiter adumbremus.

I. Testimonia, queis absolutam amoris necessitatem cuivis homini præscribi volunt, sunt ferme sequentia: Deut. 6. *Audi Israël! Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Quod idem Math. 22. inculcatur. Joël. 2. cohortans Deus ad pœnitentiam, *convertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro.* Idipsum clarius indicatur 1. Joan. 3. *Qui non diligit me, manet in morte.* Maxime vero 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar . . . & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Sed

Sed & decretoriam ſententiam ponere videtur Paulus ad Rom. 8. v. 13. & 14. *Quicunque enim Spiritu Dei aguntur, ii ſunt filii Dei: non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Hinc, qui fuſius rem pertractant, Patres longo Sæculorum ordine adjungunt. Præcipue Auguſtinum L. 1. contra Creſcon. c. 12. dicentem cum charitate omnia recte fieri, *ſi autem illa deſierit, omnia fruſtra fiunt.* Item Serm. 7. de temp. *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei.* Demum L. de vera & falſ. Pœnit. c. 17. *Sine amore Dei nemo unquam gratiam invenit.* Præterea Doctores Angelicum, Seraphicum, & Subtilem ſuas in partes trahere conantur. At

℞. *I. generatim.* Scriptura & Patres loquuntur de eo, quod eſt perfectius, & quod etiam extra Sacramentum juſtificat; verum de Dolore, qui ad Sacramentum requiritur, nulla mentio injicitur; vel certe ſi de hoc injiciatur, ſequeretur ex abſoluta textuum formula non tantum initialem, verum & perfectum amorem requiri, id quod neque Adverſarii contendunt, aut contendere poſſunt. Non igitur ad propoſitum noſtrum ejusmodi effata congruunt. Dicendum nempe vel agi de Charitate extra Sacramentum juſtificante; vel de charitate odio contrarie oppoſita, ſeu abſentia odii; vel de charitate, quæ ſit inchoata aliqua Dei dilectio, qualem in ipſa etiam attritione includi jam innuebamus. Sed nimirum objecta loca ſpeciatim ſunt expendenda. Hinc

℞. II. Et quidem 1^mo Ad textus in Deut. & apud Joël citatos concedendo ſignificari converſionem cum charitate conjunctam, eo quod in veteri Lege nulla alia fuerit Pœnitentia ſufficiens ad juſtificationem: unde & in nova Lege ejusmodi præcepta denuo inculcantur obſervanda, in caſu nimirum, ubi ſimiliter extra Sacramentum peccatorum remiſſio ſit obtinenda. Sed nec reliqui textus plus negotii faceſſunt. Non ille quidem S. Joannis, quia cit. loc. de dilectione fraterna agit, ac τὸ *non diligit*, contrario ſenſu ſumit: *qui odit fratrem ſuum, manet in morte.* Non etiam alter D. Pauli; quemadmodum enim ex prioribus ejusdem Epiſtolæ Cap. liquet, ille Corinthios dehortatur a ſchiſmate & diſſentionibus: quid quod ibidem charitatem quandoque accipiat pro habitu charitatis, id quod inde eruitur, quod in fine concludat: *nunc autem manent fides, ſpes, charitas tria hæc; major autem horum eſt charitas.* Tantum autem abeſt altero ad Rom. loco ſententiam decretoriam exhiberi, ut ipſemet Cl. Drouven, quanquam in hac ipſa ſententia maxime contrarius nobis, tamen de Re Sacrament. Tom. 2. L. 6. P. IV. C. 3. §. 3. Probat. 3. exinde *Spiritum duntaxat timoris Spiritu Sancto conceptum inferat*: qui ſcilicet non ſit ſpiritus timoris, qualis Populo Iſraëlitico datus, ſed virtutis & dilectionis, qualis per Chriſtum datus eſt nobis. Quid denique hæc

ad

ad rem præsentem faciunt? Reliquum habent Adversarii, ut præcepta hujusmodi dari comprobent pro eo etiam casu, quo per Sacramentum Pœnitentiæ expiari volumus.

℞. III. Eadem ad PP. effata responsio est. Loquuntur ii potissimum de amore perfecto, consequenter aut extra suppositum nostrum, aut Adversarii concedere debent necessitatem amoris perfecti; vel si intelligunt amorem inchoatum, loquuntur de illo, qui includitur in ipsa spe veniæ obtinendæ, qui & idcirco initialis sensu jam intimato vocatur. Sæpius etiam agunt de charitate habituali, quo etiam modo Augustinus contra Cresconium scribens se explicat in contextu dicendo, charitas, *quæ diffusa est in cordibus nostris, & quæ schisma excludit ab Ecclesia*, qua Donatistæ se separarunt. Quod si paupertas & levis pagina non prohiberet, quæ contra in rem nostram adducere PP. effata liceret. Certe August. Lib. 1. de adulter. Conjug. cap. ult. multis contendit, *quod Baptismatis, eadem est reconciliationis causa*: atqui ex D. Angel. 4. Dist. 6. Q. 1. Art. 3. ad 5. *Ad hoc ut homo se præparet ad gratiam in Baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas, quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio*, ergo. Seraphici Doctoris vindicias ejusque pro sententia nostra suffragium in P. Sebast. Dupasquier Tom. 8. Disput. 3. Q. 6. luculenter videre est. Subtilis autem Magister an clarius se explicare potuisset, quam cum 4. Dist. 14. Q. 4. N. 9. *concedo ergo*, inquit, *quod ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet suscitari vel simpliciter, & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quæ influit, augetur: vel suscitari secundum quid, scilicet, ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cavendi de cætero, & velit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc suscitatur simpliciter per Sacramentum.*

II. *Ratio nil probat.* Quod enim ejusmodi momenta illi nobis, tot iisdem nos reponimus. Scilicet in rebus a mero Dei ita volentis & disponentis arbitrio dependentibus, non temere humanis ratiunculis fidendum. Ad PP. potius & Conciliorum oracula, quæ rem ex æquo discusserunt, & cujus in præsenti sunt decisiones Tridentini, attendendum. Unicum tamen, quo nimium fidunt reflexum, ut ajunt argumentum, discutiamus. *Sententia*, inquiunt, *de attritionis sufficientia est mere probabilis, sua proinde etiam est probabilitas oppositæ, quæ ipsa propterea est tutior, atqui in iis, quæ ad Sacramenti valorem spectant, non licet uti opinione probabili relicta tutiore, ut constat ex Prop. I. ab Innocent. XI. damnata.* Ac omnino sententiam oppositam esse tutiorem dubitari nequit, eandemque simul esse probabilem arguitur præprimis ex Alexandri VII. Decreto 5. Maji An. 1667. edito, quo partes circa attritionis sufficientiam dissidentes prohibentur se invicem censuris, aut alterius injuriæ nota lacessere. At & nostram de attritionis sufficientia sententiam ita propugnamus, ut eandem

dem simul Theologice defensibilem asseramus. Est nimirum ea non mere probabilis, sed moraliter certa, aut saltem inter probabiles probabilissima, qui proinde eam sequuntur, non exponunt Sacramentum morali periculo frustrationis; si quod autem est remotum periculum, hoc universum conformiter ad Prop. III. ab Alexandro VIII. damnatam in actionibus humanis cavere non obligamur, imo nec possumus.

III. *Tridentinum nobis apertius favere videtur:* etenim Sess. 14. cit. ad contritionem generatim sumptam non plus requirit, quam ut conjuncta sit *cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Dein contritionem in perfectam & imperfectam dividens, hanc, seu attritionem, *si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, docet ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere*, nulla omnino facta mentione peculiaris alterius dilectionis. Igitur ex mente Tridentini non requiritur dilectio quædam a spe veniæ & voluntate se Deo per Sacramentum reconciliandi diversa, cum etiam hæc ipsa spes & voluntas sit quædam inchoata dilectio Dei. Silentium hoc eo plus probat, quod alias sequeretur, Concilium rem nobis maximopere necessariam voluisse reticere.

Regerunt tamen illi I. Concilium loqui de dispositione tantum remota & insufficienti. II. Sess. enim 6. c. 6. ubi de modo præparationis ad justificationem agit, expresse haberi, *justificari peccatores, dum a justitiæ divinæ timore utiliter concussi in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propitium fore, illumque, tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, ergo præter spem requirit charitatem. III. Dein illa ipsa Sess. 14. c. 4. attritionem, quam ait ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponere, comparat cum Ninivitarum pœnitentia: *hoc enim*, inquit, *timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt.* At in Lege Veteri impetrari non potuit sine charitate, ergo cum hac conjunctus fuit. Ninivitarum timor, atque etiamnum juxta Trident. apud pœnitentes conjungi debet. sed

*Contra est ad I.* Aliter attritio disponit in Sacramento, quam extra: sed extra disponit remote, cum pœnitenti viam ad justitiam præparet, ergo intra proxime. Nec reponas disponere proxime ad gratiam contritionis, sed non ad gratiam justificantem; quod enim vel minimum in Concilio fundamentum hujusmodi distinctionis? quin contrarium clarissimis verbis adstruit: *in Sacramento tamen* (attritio) *pœnitentem ad Dei gratiam disponit.* Præterea si mediate solum disponeret, alium actum immediate disponentem debuisset assignare; alias promittens nobis dare exactam de hoc Sacramento doctrinam, dedisset mancam, & innumeris Sacrilegiis saltem materialibus expositam. Quis credat ad Sacramentum

aliud requiri, ubi nil aliud requirit Concilium in Spiritu S. congregatum? ita ut diceret Piissimus Card. Bellarminus fastis Sanctorum jam jam inserendus Lib. 2. de Pœnit. c. 10. *Sufficere attritionem perspicuum est ex illo Concilio Tridentino.*

*Contra est ad II.* Nos etiam affirmare, quod peccatores ad justificationis gratiam præparentur, *cum in spem eriguntur*, *& Deum diligere incipiunt.* At cum ipsi PP. non dicant, *diligunt*, sed tantum *diligere incipiunt*, ex mente illorum ad præparationem hanc sufficit initium dilectionis, seu amor inchoatus & initialis. Talem autem amorem etiam cum attritione conjungi contendimus. Ac primum quidem includitur is in ipsa spe & amore concupiscentiæ, dum enim per hanc desideramus Deum ut nobis bonum, proxime disponimur ad amorem benevolentiæ. Includitur item in præcepto non peccandi de cætero, atque adeo servandi præcepta Dei, inter quæ est etiam præceptum charitatis, unde propositum illud jure dixeris *dilectionem in causa.* Demum includitur in pœnitentis voluntate, qua intendit reconciliari Deo, ac in ejus gratiam & amicitiam redire.

*Contra est ad III.* Quod comparatio attritionis Sacramentalis cum Ninivitarum pœnitentia solum fiat in eo, quod sicut Ninivitæ plenam terroribus pœnitentiam agentes misericordiam impetrarunt, ne Ninive subverteretur, ita per attritionem impetretur gratia Dei reatus culpæ & pœnæ remissiva. Unde non loquitur Concilium de Ninivitarum pœnitentia ad eorum justificationem sufficiente, cum non credibile sit omnes Ninivitas justitiæ gratiam fuisse consecutos. Quodsi illorum aliqui eam sint consecuti, indubie illi ab actu timoris & attritionis ad charitatem perfectam processerunt; quam tamen a Concil. cit. loco non requiri in Sacramento, inde satis liquet, quod de illa attritione loquatur, *quæ sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequit.* Id quod ulterius ex ipso Card. Pallavicino Hist. Trid. L. 12. c. 10. & ex Catechismo Conc. Trident.

*Confirmatur.* Ille nempe refert post illa de attritione verba, *vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur*, principio quidem additum fuisse, *cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat.* At cum Petrus Guerrerus Archiep. Granat. reclamaret, & falsum esse contenderet, quod *dari vix possit vera attritio, sine motu dilectionis in Deum*, auditis Theologorum sententiis adjecta illa verba deinde jubente Concilio expuncta fuisse. Qua vero ratione illa expungi potuissent, si cognovissent PP. hanc nominatim dilectionem ad Sacramentum Pœnitentiæ esse necessariam? neque obest eodem Pallavicino teste Tridentinos Patres jussisse expungi ex cap. 4. hæc verba: *verum etiam sufficere*, scilicet attritionem, *ad Sacramenti hujus institutionem.* Illud equidem præterquam quod ex aliis caussis factum a gravissimis Theologis re-

feratur, istud præterea evincit unum, quod a Concilio nil omnino expresse & explicite de sufficientia attritionis sit definitum, quod & nos ultro concedimus. At apertius tamen illud sententiæ nostræ favere contendimus, quod ultimo satis clare Catech. Rom. demonstrat. Is enim ad contritionem veram sequentes duntaxat conditiones requirit, scilicet *detestationem & dolorem peccatorum commissorum, voluntatem sinceram peccata confitendi, & pro iis satisfaciendi, firmum melioris vitæ propositum* &c. atqui vere attritus sine amore Dei, cujus non meminit Catechismus præstat illa omnia, ergo. Et postea addit, quod licet Parochi possint alia exigere, puta amorem Dei &c. *quibus efficiant, ut contritio sit magis perfecta & absoluta, verum adeo necessaria existimanda non sunt, ut sine his vera & salutaris pœnitentiæ ratio constare non possit.*

CONSECT. MORAL. I. Ex his ultro consequitur, suam etiam pro sacro tribunali sententiæ nostræ probabilitatem esse; quin admittatur quidquam contra Decretum Innocentii XI. Prop. I. damnantis.

II. Consulto tamen cum La Croix monemus, ut, quoad fert tempus & occasio, Confessarii adnitantur in Pœnitentibus procurare contritionem ob majorem Sacramenti securitatem, pœnitentisque utilitatem.

## §. XXVII. Confessio Sacramentalis.

Confessio Sacramentalis ab iis, qui post Baptismum in peccatum aliquod mortale lapsi fuerint, ex institutione Christi, Sacerdotibus necessario est facienda.

DECLARATIO I. *Consens. Script.* Ex verbis illis: *quorum remiseritis* &c. contulit Apostolis singularem quandam' ferendi erga peccatores judicii potestatem: atqui potestatem hanc exercere non possunt nisi probe, ac integre cognito peccatoris statu, id quod fori civilis exemplum plane demonstrat, ubi nisi judices pro tribunali sedentes, reorum causas vel ex propria confessione, vel accersitis testimoniis discuterent, eorum judicia iniquissima haberentur: ergo cum Christus spirituale tribunal Ecclesiæ ad instar fori civilis erexerit, necessario ex Scriptura evincitur sine confessione remitti, aut retineri peccata non posse.

II. *Antiquit. Præscript.* Doctrina hæc fuit omnium temporum, & locorum. Eam aperte præscribunt Ritualia vetustissima Latinorum; consentiunt in Euchologiis Græci omnes & Orientales. Dein si nova hæc doctrina est, proferant Lutherani & Calvinistæ, a quo primum vulgata sit: locum & tempus demonstrent, quo jugum tam asperum imponebatur. Nunquid author Epist. ad Jacob. quæ

Clementi alias adjudicatur, & sæculo jam IV. a Ruffino e Græco in Latinum versa est, ita loquitur Num. 11. *si forte in alicujus cor vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, confiteri hæc ei, qui præest ... quo possit fide integra & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere.*

III. *Universalit. Trad.* Auricularem confessionem in veteri Ecclesia jam in usu positam fuisse, demonstrant 1mo Patres. Origenes Hom. 2. in Psal. 37. Augustin. Serm. 351. alias Hom. 50. c. 4. docentes secretam Confessionem Sacerdotibus deserviisse pro regula imponendæ peccatoribus pœnitentiæ, seu privatæ, seu publicæ. 2do Ea PP. loca, quibus agitur de Sacerdotum sacramentali silentio; quemadmodum Basilius in Epist. can. ad Amphiloch. can. 34. ait: *adulterio pollutas mulieres, & confitentes ... publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus.* 3tio Exempla complura a Scriptoribus Ecclesiasticis notata. Unum referre juvat ex Socrate L. 5. c. 19. *Mulier quædam,* inquit, *nobilis ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta post Baptismum a se perpetrata singillatim confessa erat.*

Consect. Histor. Moral. I. Perperam itaque Calvinus in Antid. Conc. Trident. effutiit confessionem hanc auricularem ab Innocent. III. primum esse inductam; perperam illam *tormentum Innocentianum* compellat; perperam denique atque omnino sibimetipsi contradicendo mentitus est, confessionem auricularem a Nectario esse omnino abrogatam.

II. Ad valide autem perficiendum Pœnitentiæ Sacramentum perinde est, seu confessio sit secreta, seu publica: regulariter tamen secreta fieri debet. Aperta enim in hanc rem prostat doctrina Concil. Trid. Sess. 14. c. 5.

III. Ipsa porro integritas, esto sufficiat quandoque formalis, debet esse materialis, quare non tantum omnia peccata mortalia quoad numerum & speciem, sed etiam circumstantias speciem mutantes tenemur confiteri. De circumstantiis inter eandem speciem notabiliter aggravantibus *non ita certum est* inquit Subt. Doct. in 4. Dist. 15. Q. unic. in utramque partem disputat ille, sine dubio negantem partem electurus, si Patrum Tridentinorum dogmata legere potuisset.

IV. Moribundus tamen, qui non potest aliter quam in genere confiteri, satisfacit, imo etiam etsi tantum dederit signa petitæ confessionis. Quin practice loquendo potest & debet saltem conditionate absolvi is, quem constat cæteroquin catholice vixisse.

## §. XXVIII. Minister Pœnitentiæ.

Soli Sacerdotes sunt legitimi Pœnitentiæ Ministri. Contra Waldenses, Wiclefit. Lutheran.

DECLARATIO I. *Antiquit. Script.* Ii soli legitimi sunt Pœnitentiæ Ministri, quibus solis ligandi solvendique potestas, & remittendi aut retinendi peccata divinitus est concessa: atqui solis Apostolis, eorumque Successoribus, quos in persona Apostolorum alloquebatur Christus, potestatem hanc Salvator attribuit: ergo.

II. *Consens. PP.* Ambros. Lib. de Paradiso, & Lib. de Pœnit. loquens de potestate ligandi & solvendi dicit: *Jus hoc solis est promissum Sacerdotibus.* S. Hieron. exponens illud Math. 16. *tibi dabo claves regni cælorum: habent,* inquit, *judiciariam potestatem alii Apostoli, habet & omnis Ecclesia in Episcopis & Presbyteris: sed ideo Petrus specialiter eam accepit, ut omnes intelligant, quod quicunque a veritate fidei & societate Ecclesiæ separatur, nec a peccatis solvi, nec cælum potest ingredi.*

CONSECT. MORAL. I. Præter potestatem Ordinis autem, omnino necessaria est potestas jurisdictionis. Id quod definitum legimus in Trid. Sess. 14. c. 7. Et sane cum Pœnitentiæ ministerium ad modum forensium judiciorum exerceatur, de utriusque debet saltem in hac parte idem censeri: atqui in causis forensibus non omnis judex habet jus exercendi in quemlibet judicii potestatem, sed in eos tantum, qui subjecti sunt, ergo a pari.

II. Cum autem Minister agat pœnitentis Judicem, Medicum & Doctorem, pronum est statuere, quales in particulari obligationes muneri huic respondeant. Præter has porro peculiaris est illa, quæ ad *confessionis sigillum* pertinet. Obligatio sane hujus secreti rigoris est summi: fundatur enim non tantum in jure naturali & Ecclesiastico; sed etiam divino, quod ex ipsa Sacramenti institutione deducitur, ne videlicet revelatione secreti in odium confessio adducatur.

III. Et quemadmodum veniæ facilitas incentivum peccandi est, sic ejusdem obtinendæ difficultas magnam vim habet ad peccati voluntatem imminuendam, unde nullum dubium est, *casuum reservationem*, ut loquitur Tridentinum, *ad disciplinam Christiani populi pertinere.*

## §. XXIX. Satisfactio Pœnitentialis.

Dantur in homine opera satisfactoria pro peccatis, ex meritis Christi.

DECLARATIO I. *Univers. Script.* Ubique talia opera suadentis: ut Daniel Nabucodonosori, *peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Dan. 4. & Joannes Math. 3. Judæis: *facite fructus dignos pœnitentiæ.* Et D. Petrus iisdem Act. 2. *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum.* Idem prædicatio Jonæ eximie attestatur Jon. 3. *& vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est super malitiam,*

*litiam, quam locutus est, ut faceret eis, & non fecit.*

II. *Antiquit. Trad.* Tertullianus Lib. de Pœnit. c. 9. *satisfactio*, inquit, *confessione disponitur: confessione pœnitentia nascitur: pœnitentia Deus mitigatur ... de ipso quoque habitu & victu mandat, sacco & cineri incubare ... animumque mœroribus dejicere.* Et addit: *quam porro ineptum pœnitentiam non implere, & delictorum veniam sustinere? hoc est pretium non exhibere.* S. Aug. Enarrat. in Ps. 50. *Impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti ... ignoscis confitenti, ignoscis se ipsum punienti.* Et S. Greg. M. Lib. 9. Moral. c. 27. *Dominus delictum sine ultione non deserit: aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut Deus vindicans percutit.*

Consect. Moral. I. Cum igitur Sacramentum Pœnitentiæ rationem habeat judicii vindicativi, in quo a reo exigitur satisfactio, idcirco sicut a Confessario regulariter imponenda est satisfactio sub culpa, ita a pœnitentibus acceptanda est, & implenda. Debent *tamen Sacerdotes, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere.* Trid. Sess. 14. c. 8.

II. Opera autem, quæ injungi possunt, non solum sunt supererogatoria, sed etiam alioquin præcepta, imo & orationes pro defunctis, ut *requiescant in pace.* Quæ sive in statu gratiæ, sive in statu disgratiæ peragantur, sufficiunt ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, & ad effectum remissionis pœnæ temporalis.

III. Severiorem porro, ac nunc fit, fuisse antiquitus in satisfactionibus imponendis Ecclesiæ disciplinam, abunde docent Canones pœnitentiales. Ad varietatem porro hujus rigidæ satisfactionis quod attinet, alia fuit *privata*, alia *publica*: publica rursum alia fuit *solemnis*, alia *non solemnis.* Illa ritu solemni, & certo graduum, ac stationum ordine perficiebatur: hæc, tametsi & ipsa in conspectu aliorum fieret, memorata tamen ritus, & graduum solemnitate carebat.

IV. Cæterum licet hæc satisfactionum genera in usu fuerint Veteribus, ut plurimum nihilominus per pœnitentiam *humillimam*, imo etiam pœnitentiæ nomine absolute prolato designabant pœnitentiam publicam solemnem, ceu reliquis præstantiorem, quod ipsum de pœnitentium nomine observandum venit. Præterea posteriores etiam Scriptores pœnitentiam publicam & canonicam communiter pro solemni sumunt. Id quod ad complura Patrum, & Conciliorum loca rite intelligenda haud parum confert.

V. Unde cum S. Cyprianus Epist. 52. ad Antonian. ait *peccatores inveteratos, qui in articulo mortis expiari petebant, non fuisse admissos ad Pœnitentiæ Sacramentum*, intelligendus est de admissione publica; non privata; ea enim

ætate

ætate in compluribus Ecclesiis observabatur ritus, *de non absolvendis pœnitentibus publicis ante expletam satisfactionem.*

## §. XXX. Indulgentiæ.

Indulgentia juxta mentem Ecclesiæ accepta est *remissio* aliqua *pœnæ temporalis, quæ post remissionem peccatorum luenda superest, extra Sacramentum facta ab eo, qui spiritualem jurisdictionem habet cœlestem Ecclesiæ thesaurum dispensandi.* Ejusmodi potestatem in Ecclesia extare, earumque usum salutarem fidelibus esse invicte Orthodoxi Heterodoxis demonstrant.

DECLARATIO I. *Consens. Script.* Christus verbis illis Math. 18. *quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo,* quidquid pœnarum peccatoribus imponi potest, generaliter comprehendit; nempe denegationem absolutionis a peccato: præcisionem a corpore mystico: ipsasque pœnas canonicas, per quas Deo pro pœnis temporalibus sibi debitis, etiam accepto remissionis peccatorum beneficio, satisfaciant: igitur etiam cum hæc sequentia verba: *& quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo* præcedentibus correspondeant, & æque late patere debeant, significat non peccata solummodo, sed & pœnas ipsas pro peccatis impositas, cum prudentia, & discretione relaxandi potestatem. Certe si in republica bene morata ligandi solvendique potestas ex æquo judicibus attribuitur, nec ita tenentur ad apicem juris sententias suas agere, quin aliquando possint emollire legum severitatem, ac relaxare, si nimirum hanc mitigationem vel conditio temporum, vel bonum commune reipublicæ, aut privatum subditi, aut altera quævis ratio exposcat; quo ex capite negari potest, a Christo similem & excellentiorem etiam hujusmodi potestatem sacris Antistibus collatam esse, qui Ecclesiam instar humanarum rerumpublicarum erexit, formamque eo perfectiorem ei dedit, quo civitas hæc nobilior, hoc est, civitas Dei futura esset?

II. *Antiquit. Trad. & PP.* S. Paulus 2. Cor. 11. erga incestuosum Corinthium hac usus est indulgentia, *ne,* inquit, *abundantiori tristitia absorberetur;* in quæ verba S. Joan. Chrysost. Hom. 4. in 2. ad Cor. *ea re docemur,* inquit, *quod non solum ad peccatorum naturam, verum etiam ad mentem, habitumque pœnitentium oportet moderari disciplinam.* Pari ratione Theophilactus in eundem locum docet: *pulchre autem dixit Apostolus: donare ... attendit enim, quod non tantum ex pœnitentia sua* (Corinthius) *quantum ex gratia*

*tia & donatione remissionem recipiat.* Præterea Indulgentiarum usum Sæculo II. probavit Tertullianus Lib. ad Martyr. c. 1. ejusdem in Epistolis S. Cypriani frequentissima fit mentio. Conc. Ancyranum An. 314. & Nicænum I. undecimo post anno habitum cum iis pœnitentibus indulgentius agendum statuerunt, qui & labores, & fervorem pœnitentiæ præferebant. Et Basilius in Epist. ad Amphiloch. can. 54. *est autem tuæ prudentiæ*, inquit, *pro circumstantiæ proprietate pœnas intenderè vel remittere.* Quorum similia in diversis ejusdem epistolæ canonibus repetit. Hanc disciplinam confirmavit Concil. Quini-Sextum Sæculo VII. Sæculo VIII. Indulgentiarum usus latius patuit. Sæculo autem XI. & XII. Terræ Sanctæ a Saracenorum tyrannide occupandæ ratione maximopere ampliabatur.

III. *Ex universalit. Communion. Ss.* Articulus Symboli profitetur *Communionem Sanctorum*, seu omnium Christi membrorum sub uno capite Communionem charitatis vinculo colligatam, qua fit, ut omnia justorum opera bona, sive qui sunt, sive qui unquam fuerunt, sint veluti propria singulorum, & in totum corpus ad publicos usus urgente occasione profundantur: at nulla hujus profusionis urgentior causa est, quam ubi agitur de canonicis satisfactionibus per Indulgentias remittendis: hæc enim Oeconomia fit, tum, ut in præsenti tempore justorum abundantia pœnitentium inopiam suppleat, atque ita aliqualis æqualitas fiat, tum ut de satisfactionibus Deo debitis nihil minuatur, eo nimirum justorum merita in subsidium pœnitentiæ misericorditer acceptante, ergo. M. propositio ex Apost. 1. Cor. 12. liquet: *Sicut enim corpus unum est, & multa habet membra, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus.* De eadem communione Propheta Regius Ps. 118. *Particeps*, inquit, *ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.* Quæ verba S. Ambros. explicando Serm. 8. in Ps. 118. *Sicut enim*, ait, *membrum particeps esse dicimus totius corporis: sic conjunctus omnibus timentibus Deum, qui non dicat alteri, non es de corpore meo: hoc est non dicat pauperi dives, non ignobili nobilis, non ægro sanus, non fortis debili, non imperito sapiens dicat: non estis mihi necessarii, particeps Christi Corporis est, quæ est Ecclesia.*

CONSECT. MORAL. I. Bona autem hæc spiritualia, quæ sunt Christi Domini, & Sanctorum merita, distributioni Ecclesiæ concredita, *Ecclesiæ thesaurus* vocantur. Absit autem, ut dicamus (quod Hæreticorum fæx identidem inclamitat), *merita Sanctorum in Ecclesiæ thesauro reponi, ut addatur aliquid infinitis meritis Christi*, idcirco enim tantum illuc eo spectant illa, ut pateat Sanctorum communio in Ecclesia sub capite illius Christo, qui Sanctis ceu membris, & instrumentis utitur.

II. Unde omnia Sanctorum merita ab ipso capite Christo valorem suscipiunt,

piunt, & cum meritis Christi conjuncta, non sunt aliquid majoris pretii, aut existimationis, quam sint Christi merita separata ab illis: *cum hæ sint emanationes ab ipso Christo, qui ut caput fidelibus membris spiritum tribuit & motum.*

III. Multiplex autem est Indulgentiarum species. Aliæ Indulgentiæ pro vivis, pro mortuis aliæ vocantur. Rursus aliæ temporariæ, aliæ perpetuæ nullo termino circumscriptæ. Tandem alias plenarias, alias partiales distinguunt. His pars, illis tota remittitur pœna. Ante bellum porro sacrum contra Turcas & Albigenses susceptum plenariæ & generales Indulgentiæ vix unquam concessæ leguntur. Unde & Bellarminus Lib. I. de Indulg. CXII. inquit: *Veteres parcissimos fuisse in Indulgentiis conferendis.* Plura de Indulgentiis præsertim Jubilæi Theologi Morales pertractant. Nos a Sacramentis Mortuorum ad reliqua de Vivorum Sacramentis Parerga properamus.



# PARERGA
## DOGMATICO-SCHOLASTICO-HISTORICA.

I. Eucharistiam Christus per se ipsum instituit, & quidem post legalem agnum Paschalem pridie mortis manducatum.

II. Pascha autem hoc uno eodemque cum omnibus Judæis tempore celebravit.

III. Hoc ipsum Pascha ad secundam vesperam lunæ 14tæ, non vero ad primam celebravit.

IV. Calumnia HH. est, doctrinam de reali Christi præsentia in Veteri Ecclesia ignotam fuisse.

V. In Eucharistia est vere ac realiter, & substantialiter præsens Corpus & Sanguis Christi.

VI. Novatores perperam apud S. P. Augustinum malæ suæ causæ patrocinium quærunt.

VII. Vi verborum Consecrationis solum Christi corpus sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini ponitur.

VIII. Per concomitantiam tamen totus omnino Christus sub unaquaque specie, ac etiam sub quavis specierum parte continetur.

IX. Modum quidem hujus existentiæ hucusque omnino nobis ignotum fatemur, si quid tamen pronuntiandum sit, illam ceu verisimilius per extensionem virtualem explicamus.

X. Corpus autem & Sanguis Christi in Eucharistia existit per transsubstantiationem, non per impanationem, aut consubstantiationem.

XI. Lepide omnino Impanatores provocant ad rescriptum Comitiorum, quæ sub Carolo V. Augustæ sunt celebratæ.

XII. Qualis autem actio sit transsubstantiatio, an adductiva, an reproductiva, id decidere fori Philosophici est. Cujus ad principia nos quidem *adductivam* defendimus. Satius tamen judicamus Theologo asserere, transsubstantiationem *esse actionem mirabilis & singularis conversionis panis & vini in corpus & sanguinem Christi.*

XIII. Remanere etiam species & fide, & sensuum testimonio monstratur. Num autem hæc potius sint explicanda ad Peripateticorum, aut Antiperipateticorum sensum, problema esto.

XIV. Eucharistia est verum N. L. Sacramentum, idemque consistit in re permanente, non in actione solum transeunte in sensu Novatorum.

XV. Pessime igitur Kemnitius morem Eucharistiam publicæ venerationi exponendi *Artolatriæ* insimulat.

XVI. Probabile est tam Græcos quam Latinos primitus pro conficienda Eucharistia promiscue adhibuisse panem azymum, & fermentatum.

XVII. Equidem pro Corpore Christi in Eucharistia conficiendo necessaria materia est panis triticeus, ad valorem tamen Sacramenti perinde est, seu sit azymus, seu fermentatus.

XVIII. Solum de vite vinum est materia calicis. Huic nihilominus ex præcepto Ecclesiæ modica aqua admiscere debet.

XIX. Forma Sacramenti Eucharistiæ consistit in his solum, aut æquivalentibus verbis: *hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*.

XX. Unde quæ illis Latini, & Græci præterea adjiciunt, necessaria non sunt ad valide perficiendum hoc Sacramentum.

XXI. Sacramenti Eucharistiæ perceptio non est ulli necessaria necessitate medii. Adultis tamen necessaria est necessitate præcepti tam Divini, quam Ecclesiastici.

XXII. Soli Sacerdotes possunt valide conficere Eucharistiam, hi proinde soli sunt Consecrationis Ministri.

XXIII. Dispensandæ pariter Eucharistiæ Minister est Sacerdos. Extraordinarius vero Diaconus.

XXIV. Subjectum capax Eucharistiæ est omnis & solus homo baptizatus, idemque viator.

XXV. Ad illam cum fructu percipiendam ex parte animæ requiritur status gratiæ, ex parte vero corporis requiritur regulariter jejunium naturale.

XXVI. Communio sub utraque specie non est ex præcepto Christi necessaria Laicis, & universim omnibus non sacrificantibus, jureque illis Ecclesia usum calicis prohibuit.

XXVII. Eucharistia est verum ac proprie tale L. E. Sacrificium, quod in Missa offertur.

XXVIII. Res oblata in Missæ Sacrificio est solus Christus, prout sub panis & vini speciebus existens.

XXIX. In Missa actio sacrificandi est sola Consecratio; quæ jure divino debet esse utriusque speciei, ut sit perfectum Sacrificium.

XXX. Eucharistiæ Sacrificium est simul latreuticum, simul Eucharisticum, impetratorium & propitiatorium. Unde laudabilis omnino & utilis est mos vetus Ecclesiæ sacrificium Missæ offerendi ad honorem Sanctorum, ac etiam pro vivis & defunctis.

XXXI. Confirmatio est a Christo instituta, certo attamen non constat hujus institutionis tempus.

XXXII. Verisimilius est Christum Confirmationis materiam disjunctive tantum determinasse.

XXXIII. Confirmationis forma sufficiens est tam oratio, quæ sub manuum impositione recitatur: quam verba unctioni respondentia, quam etiam utraque simul.

XXXIV. Effectus proprius hujus Sacramenti est gratia roboris.

XXXV. Episcopus est minister ordinarius Confirmationis.

XXXVI. Extrema unctio est verum L. N. Sacramentum.

XXXVII. Idemque ab ipso Christo institutum: apud Marcum quidem c. 6. insinuatum, a Jacobo autem promulgatum.

XXXVIII. Materia remota est oleum olivarum: idque ex præcepto saltem Ecclesiæ, benedictum ab Episcopo, vel ex delegatione per simplicem Presbyterum.

XXXIX. Proxima materia est unctio; vel unica autem ad Sacramenti valorem sufficit, tametsi ex præcepto multiplex sit adhibenda regulariter.

XL. Sacramentum hoc valide ministratur forma mere deprecativa: eaque Græcorum non minus, quam Latinorum.

XLI. Primarius illius effectus est animæ alleviatio, reliqui sunt secundarii.

XLII. Solus Sacerdos est minister extremæ unctionis, vel unus autem sufficit.

XLIII.

XLIII. Ordinatio saltem aliqua est verum L. E. Sacramentum a Christo institutum.
XLIV. Tale est ordinatio Sacerdotis ab ipso immediate Christo in Cœna ultima instituta.
XLV. Verisimilius est, Christum Ordinis Sacerdotalis Sacramentum instituentem ejus materiam & formam disjunctive tantum determinasse, ita videlicet: ut vel sola manus impositio cum oratione sufficiat; vel cum hac simul instrumentorum porrectio, eique adjuncta verba pro materia & forma completa adhiberi possint.
XLVI. Solus Episcopus est ordinarius Minister Ordinationis Episcopi & Presbyteri; quin etiam Diaconatus, Subdiaconatus, & quatuor minorum.
XLVII. Episcopi jure divino sunt Presbyteris superiores.
XLVIII. Eorum jurisdictio immediate est a Deo.
XLIX. Datur vera in Ecclesia Hierarchia.
L. Clericos inter Laicosque discrimen jure divino est statutum. Neque discrimen hoc unquam ullum Ecclesiæ intulit detrimentum quemadmodum convitiatur Böhmerus.
LI. In statu innocentiæ inter protoparentes nostros, item postea in *lege naturæ*, nec non in *lege scripta* matrimonium solum erat in officium propagationis humanæ.
LII. Idem Christus Dominus ad Sacramenti dignitatem elevavit.
LIII. Institutio illius spectatis Patrum sensis, probabiliter facta tum, dum Christus in Cana Gallilææ nuptiis interfuit Joan. 2.
LIV. Perperam itaque Simoniani, Nicolaitæ, & Manichæi matrimonium damnarunt, sed & perperam Lutherani & Calviniani illud omnibus necessarium pronuntiarunt.
LV. Materia Sacramenti Matrimonii est legitimus contrahentium consensus internus.
LVI. Forma vero verba vel alia signa hunc consensum exprimentia.
LVII. Verisimilius est ministros illius esse ipsos contrahentes: non autem Parochum.
LVIII. Inter absentes per Procuratorem, litteras, debito modo factum est verum Sacramentum.
LIX. Poligamiam successivam Tertullianus in lib. de Monogamia rejecit. At non minus ac alii Montanistæ male rejecit.
LX. Ecclesia potest statuere impedimenta dirimentia, quin in substantiam Sacramenti immutandam sese ingerat.

# *TANTUM!*

